




William Charles De Meuron. Earl Fitzwilliam.

51-8-62

A G. Viz

400

Guillaume
Pestel

GVILLELMI POSTELLI

De

UNIVERSITATE

Libri duo:

In quibus

ASTRONOMIÆ,

Doctrinæve Cœlestis Compendium.

Reliqua quæ hisce Libris continentur, Paginæ tertia ostendit.

Editio tertia.



LVGDVNI BATAVORVM,

Ex officina JOANNIS MAIRE.

cIↃ IↃC XXXV.

GVILLELMI POSTELLI
De
UNIVERSITATE,
Libri duo:

In quibus

ASTRONOMIÆ,
Doctrinæve, Cœlestis Compendium
Terræ aptatum, & secundum Cœlestis
influxus ordinem, præcipuarum-
que Originum rationem to-
tus orbis Terræ quatenus
innotuit, cum Regno-
rum temporibus
exponitur.

Sed ante omneis alias orbis parteis TERRA SANCTA *summo, hoc est, amplissimo compendio describitur. cui Gallia ob primarium orbis nomen, & ius substituitur, eo quod ambæ toti orbi legem sunt daturæ.*

Secundus liber Tabulas Ptolemæi explicat, quem Ptolemeolum vocat.



GVILLELMVS POSTELLVS

Lectore candido.

QUUM, post comparatum huic nostræ Iapetiæ, quã fabulæ Europam dixere, monumentum, quo universitas Ismaëlitarum possit in unitatẽ rationis nobiscum reduci, statuerim quam potero latissime non tantum Cosmographiam explicare, sed maxime illas Corographiæ partes exponere, à quibus universitas iura processere, ideo Syriæ sive terræ sanctæ, & Celticæ specialem tractationẽ cum sui iuris rationibus curavi recudi. Quum enim receperim fore ut ipsa Atlantis & cæteræ regiones quæ Ptolemæo fuerunt incognitæ una cum inventorũ historiis à me in compendiũ reducantur, & ex multis Lusitanorum, Hispanorumque scriptis ipsorũ vulgari lingua expositis Latine emittantur: satagam interea ne in ocio torpescã, etiã dum illa scribo, ista recudere, & ad authoritatis, rationisque pri-

mariæ munimentum declarare. Nã revera quorſum ſcopus noſtræ univerſitatis tendat nemo unquã recte probaverit, qui vel Galliæ vel Syriæ origines, & quonã inclinato capite Rex regum pro nobis luens emiſerit, ſpiritũ ignoraverit. Nã triplicitatũ baſis in Terra Sancta eſt, Mediũ autẽ primæ in Gallias procumbens & ſuper VVeſterreichios finem noſtræ habitabilis faciens, uſque in Galliæ novæ littus, ſũmæ fœlicitati influxum ponit, & ſic cœlũ ſuo factori incogitanter conſentit. Cæterũ te per Ieſum Chriſtũ rogatũ velim candide lector, ut boni hanc noſtrã quantulamcunque opellã conſulas, & ſiquid humani patior, in his & in quibuſcunq; aliis meis ſcriptis, quũ omnia Eccl. Cath. iudicio ſubiecta cupiã, condonare & excuſare digneris. Homon. ſum, qui mutuo excuſationis officio mundũ optime conſiſtere poſſe iudico. Vale, Pariſ. in Gervaſianis ſcholis 1. Sept. 1563.

DE UNIVERSITATE,

Seu de

COSMOGRAPHIA COMPENDIVM.

Ratio huius instituti.



Uum sit homini propositum, ut tota conatu debeat in summum suę fœlicitatis scopum ferri, sit autem summa ipsius fœlicitas in animi bonis latissime conquirendis constituta: satagendum in primis illi est, ut veritatem ipsam via præstantissima assequatur. Tunc autem verum ipsum nos assequi certo scimus, quum non tantum per causam, sed propter causam maxime in rebus na-

turalibus & divinitus conditis ipsum cognoscimus. Quum itaque in hoc naturæ templo sit nobis ita ob oculos constituta Cosmopoeïa, ut in rerum originibus earumque loco & tempore tandiu debeat humani ingenii occupatio versari, quoad per causam & propter causam omniũ Deum, ad eius videlicet laudem & honorem ut maxime poterit fieri, cognoscamus: necesse est quousque Principium, & cœlum & terram generali saltem comprehensione concipiamus, nos in eo studio versari. Iam vero eo quod pauci admodum Philosophi satagerunt in providentiæ laudem & amorem, origines & causas rerum à se pertractatas convertere, sategi librum de Formatione ex Hebræis in Latinum vertere, & commentatione illustrare: quo uno & sacris doctrinis & Platonicis Pythagoricisve in Timæo expo-

expoſitis ſumma & lux & concordia adfutura eſt, ut ſumma authoritas & ſumma ratio una conſonent, ſicut ſunt una à Deo inſtitutæ, Quum enim nullus doctrinæ author nobis ipſo Abrahamo (qui illius doctrinæ de originibus primus aſſertor affirmatur) poſſit dari antiquior, merito illius Liber rationalis ſummo in pretio habebitur, qui nobis religioſæ veritatis parens eſt conſtitutus. Licet enim Enoch ante ipſum de divinis originibus prophetice ſcripſiſſe legatur: tamen nec eius opus legitur ita inſtitutũ, nec extat in orbe Latino. Supereſt itaque, poſtquam Principia & origines mundi tradidi ex Abrahami doctrinis, etiam Locum mundi & Tempus ipſius ita tradere: ut nulla ibi fabuloſa, nulla falſa deſcribens, ſatagam oſtendere, quomodo hactenus Deus non tantum in una

aut altera Provincia, ſed in univerſo curam rerum humanarum ita habuit: ut toto in orbe ſint inexcuſabiles, qui illum ſicut Deum non glorificaverunt. Quum autem ea ſint in primo favoris Divini loco ponenda, quæ primo nata ſunt, & primis nobilioribusque Zodiaci partibus ſunt ſuppoſita, opus eſt ut prima cura de illis populis Deo fuiſſe oſtendatur, qui primi in ordine & cœleſti aſpectu ſunt. Sic non tantum per cauſam, ſed propter cauſam docere videbimur.

De cœli origine eiuſque influxu, & partibus.

CONDITO in ſuis Ideis ante omnia intellectui agenti & poſſibili impactis, mundo, ita ut ſalva conditionis à Deo dependentis ordine, mundus ſit in ſapientia creata contemporaneus Deo, ſenſim ex prima materia aſſurrexit

aſſurrexit mundi moles in eam quam cernimus quantitatem. Extremitas itaque ſubtiliſſima materiæ primæ ſuis corruptivis accidentibus ſpoliata & defecata in decem Cœleſtium orbium molem eſt elevata. Quatuor elementorum maſſa remanſit accidentibus corruptivis obvoluta. Ignis una parte ſeipſo in ordine elementari ſubtilior, aër duplo, aqua triplo, & terra quadruplo ſeipſa ſubtilior, rarior, tenuior & defecatior illuc ſunt devecta. Et ſic ex quatuor elementis conſurrexere decem orbes cœleſtes, qui non tantum ſunt veluti forma mundi, ſed ſingulas habent intelligentias motrices: quarum arbitrio inæqualis fit ſingulorum cœlorum influxus, unde regionum mundi in eodem parallelo diverſitas. Nam in eadem cœli ratione India eſt fœliciſſima, Æthiopia arenoſa & infœ-

infœlix. Et rursus Beru & novus orbis fœlicissimus. Ex decem cœlis septem primi sic habent. Luna, ut & cæteri sex planetarum orbes, ab occasu in ortum movetur absolvendo orbem 27. diebus, sed ad solis coniunctionem rediens 30. die. Nogah, Cocab, & Sol annuo cursu absolvunt orbem, Maadim qui vehementiæ fortitudinisque sydus est, biennio hoc ipsum facit. Tzedec ubi magistratuum & æquitatis religiosæ vis residet, 12. annis. Saturnus sive Sabtai, qui à quiete & frigore, lentoreve & consistentia nomen habet, 30. annis. Octava sphæra eodem motu renititur motui diurno, 106. annis uno gradu, movens secum stellas fixas. Nona sphæra septem annorum millibus super polos positos in capite primi & septimi signi, absolvit versus polos mundi suum cursum, movendo stellas

orbis inferioris. Primum mobile ſeu decimum cœlum omneis una ſecum quotidie rapit à mediæ noctis puncto aſcendendo ad meridiem, & à meridie deſcendendo ad mediam noctem, unde priſca ſuperorum & Inferorum ratio. Quia opus eſt neceſſario, ut ſub Deo omnia ordine fiant, & nil fiat omnino temere, ſunt ſupra cœlum ordinata decem intelligentiarum genera, omnia illa ordinantia ut in finem certum, quæ mediantibus totidem intelligentiis decem orbibus impactis, moventur hic ut in locum. Eſt autem in eo loco ubi elementaris ignis eſſe debebat, Ætherea regio 32. ſemidiametris terræ à ſuprema regione aëris diſtenſa, uſque ad concavum orbis Lunæ, unde temperamenti ſubſtantia ad elementa concilianda advenit. Omnes itaque influxus cœleſtes fiunt in

corpo-

corpora & animas non rationales, ab illis duplicibus intelligentiis ſed mediante materia Ætheris. Dividitur autem primum mobile, & per conſequens novem inferiores ſphæræ, in quinque circulos parallelos, unum obliquum, & duos ſibi ſemper ita tranſverſos, ut ad æquales angulos ſeſe mutuo ſemper interſecent. Ex parallelis primus eſt æquator dividens ſpherã in duo æqualia, cuius poli ſunt mundi. Dividitur in trecentas & 60. partes, quas gradus vocant, ut & ſinguli circuli præcipue maiores, qui ſunt Meridianus, Æquator, Horizon, & Obliquus orbis, quarum partium cuilibet in terra reſpondent ſub maioribus circulis ſexaginta millia paſſuum. Alii duo circuli proximi, dicuntur tropici, & ſunt termini hic maximorum, ille autem minimorum dierũ. Maximi dies, ſunt in Prin-

cipio quarti menſis, minimi in Principio decimi. Obliquus orbis tantum declinat ab æquatore quantum terminus maximorum & minimorum dierum à mediocribus per 23. gradus videlicet. Itaque duo minimi circuli iuxta polos tantum diſtant à polo mundi ſive æquatoris, quantum diſtat ab eo obliquus orbis, ut nil aliud ſint quam ſignum revolutionis poli ipſius obliqui orbis. Meridianus circulus eſt maximus in 360. gradus diviſus, tranſiens per polos mundi & per medium cœli ubivis medio ſpatio inter ortum & occaſum collocabilis, quem cum attigit Sol, in die meridies eſt: in nocte eſt media nox. Dividitur autem in quater 90. gradus ab Horizonte, qui & finitor dicitur, eo quod ſeparet partem cœli viſam à non viſa. Hic autem dividit etiam æquatorem in quater nona-

nonaginta gradus, nisi his qui recta sub polis habitant , quibus semper Horizon & æquator concurrunt. Sub obliquo orbe feruntur ita septem planetæ , ut duodecim signis aut mensibus dividatur annus per eum. Primum itaque signum est in æquinoctio verno. Secundum, transactis postea 30. gradibus. Itaque assignatis singulis signis aut mensibus 30. gradibus , sunt absoluti 360. gradus. Velim autem aut numeris, aut mensibus qui in sacris sunt , vocari omnes duodecim, eo quod sunt 12. varii cœli influxus, quibus singulis singulæ præsunt intelligentiæ. Nomen a Iano qui & Noachus est, ipsi decimo mensi Ianuario remaneat oportet, eo quod totus Terrenæ naturæ orbis, & potissimum genus humanum hoc illi ipsi Noacho post Deum debet quod superest aquis Diluvii. Possumus

autem ſine fabulis vocare primum, ſecundum, tertium, quartum quintum, menſem, &c. aut quintilem, ſextilem, ſeptilem, vel Septembrem, Octobrem, Novembrem, Iannuarium, undecembrem & duodecembrem. Sed melius eſt aſſueſcere nominibus Sanctis, ita ut æquinoctii, verni menſis fiat unius & 30. dierum, & dicatur ſic in ordine, 1. Niſſan, qui ſit pro Aprili, aut pro Martio, Nam lunares ſunt menſes in Sacris, unde certo Principio non ſunt. 2. Aiar, 3. Sivan, 4. Tamuz. 5. Ab, 6. Elul, 7. Tiſri, 8. Cheſuan, 9. Chiſleu, 10. Ianuarius aut Noachius, 11. Sabat, 12. Adar. Intelligo autem ſic inſtaurare annum, ut Ianuarius ſit cum primo ſigno accedentis ad nos ſolis, quando incipiunt dies creſcere, quod intercalatis illis 21. diebus quibus nunc deficimus ab æquinoctiorum loco, qui in primo
 gradu

gradu Arietis cum prima die Aprilis constitui debet, fieri potest. Nam non potest melius corrigi Calendarium, quam ut una semper incedant menses & signa. Ex iis autem angelicis influxibus intelligentiarum duodecim sunt instituti 12. patres legis naturæ, totidem legis scriptæ & 12. legis gratiæ, donec sint totidẽ restitutionis omnium. Sed sunt sub singulis, seni ministri ita, ut resultent 72. varii influxus particulares, dum singula signa dividuntur in ter denos gradus, ut præsint denis gradibus ad septentrionem singuli angeli, ad meridiem singuli. Propterea sunt 72. populi post diluvium, 72. animæ intrantes Ægyptum, instauratæ in 72. senibus Mosis alumnis, eadem ratione 72. discipuli Christi, & totidem futuræ Concordiæ orbis sic statutum enim est in cœlo.

De

De temporis, & dierum ratione.

LICET cœlum ipſum (interim dum ſeptem naturę convenientibus intervallis, quos dies vocant, divinitus & cœlitus omnia ſenſim ſunt de privatione & materiæ potentia educta) innumeris fuiſſet ſeculis motum, tamen revera nunquam potuiſſet HABERI temporis exiſtentia, niſi fuiſſet intra cœlum incluſus intellectus numerator, hoc eſt, homo cuius cauſa ſunt omnia, qui ipſe numerum motus notaret. Nugantur itaque Ægyptij, qui multos annos ſupra ſacram chronologiam ponunt, quum nil geſti in illis probent, multo falſiora ſomniarunt Chaldæi cum ſuis 300. annorum millibus, ſed multo maxime & omnium impudentiſſime Ariſtoteles, & qui cum eo ſenſibilis mundi ponunt æternitatem, quia omnia ſunt in-

ter homines ipsius temporis stabiliendi arbitros probanda. Nec mihi fabulæ internecionum sunt opponendæ. Nam in sacris habemus diluvio universalia superiores memorias temporis. Subscribendum itaque sacris est. Tempus igitur quum sit numerus motûs cœlestis observati secundum aspectum Solis, aut quarumvis stellarum à puncto in punctum redeuntium, certum est tribus primis diebus Geneseos nil temporis potuisse eo modo constitui. Quum autem intellectus numerator primus sit Adam, certissimum etiam est licet quarto, quinto, & sexti diei maxima parte fuerit tempus, non fuisse tamen computatum nisi à Sabbathi priore vespera, quæ erat in sexti fine. Licet itaque, ut à Principio ad primam diem omnino necesse est, posset sensu spirituali admitti fuisse illa septem interval-

tervalla creationis, longiſſime ante, quoad natura ebulliviſſet, & in eam quam nunc habet molem creviſſet, tamen ſeptenario dierum intervallo fuiſſe ab intellectu primo numeratore ductum tempus ſex dierum, primo neceſſe eſt. Quum itaque primam integram viderit Adamus diem Sabbathi duce intellectu agente, & revelatione, opus eſt ut ſex dies ante ipſum collocarit. Quare Dominica dies prima eſt. Sunt autem huiuſmodi dies horarum. 24. ſinguli, ſed horæ non ſunt ubivis ſemper æquales. Nam in minima die ſunt 12, & in maxima nocte illi coniuncta ſunt. 12. ſed tanto longiores quanto breviores erant diurnæ, & contra. Et æquales & inæquales conveniunt in æquinoctiis. Ideo unum anni ſolaris Principium poſuerunt in verno æquinoctio, alterum lunaris anni eo quod Luna in libra,

ſeptimove menſe ſole in primo conſtituto fuit conditus mundus, quia æqualitas eſt inæqualitate prior, & ſimilaris pars diſſimilari. Unde certum eſt ſenſim ab Aprilis ſeu primi menſis Principio Solem in obſervatione anni fefeliſſe uſque ad 25. Martij, ſeu duodecimi, unde ſenſim à 1400. annis à 25. ad 10. diem venit. Quare omnia ſunt in ſua loca reponenda. Diei autem Principium revera à media nocte quum Sol aſcendit, capi debet: noctis autem quum deſcendit. Sunt autem in ſacris hebdomades dierum, hebdomadarum, menſium, annorum, de quibus alibi. Dies debent etiam exploſis fabulis & feriis dici prima, ſecunda, tertia, &c. ut omnia inſtaurentur. Cæterum annus correctus conſtat 365. diebus, horis 5. minutis 45. ſecundis 24. ita erratum eſt ſingulis 106. annis una die, quia

Cæ-

Cæſaris calendarium 5. minutis & 26. ſecundis fuit diminutum. Unde ſunt iam ab anno Domini 1545. Intercalandi dies. 21. quorum ſinguli ſingulis 106. annis excrevere. Latini horam dividunt in 50. minuta, ſed Hæbræi longe ſecurius in 1080. partes ob facilitatem diviſionis in $\frac{1}{2}$. 540. $\frac{1}{3}$.360. $\frac{1}{4}$.270. $\frac{1}{5}$.216. $\frac{1}{6}$.180. $\frac{1}{9}$.120. ob id rationem optimam unionis lunaris Æquinoctio ſervant, à qua nos abſumus iam per 5. dies. ſic eſt inſtaurandus etiam Chaldaïcus aureuſve numerus quinque diebus ſuperius quam ſit: & obſervanda eſt ratio ſupputandi Hebraïca, quæ à ſacris Hebræorum & non à Chaldæis eſt.

De Terra & Aqua globo, & de mutuo elementorum nexu.

IGNIS in ſui ſubſtantia nobis exponit quatuor elementorum

 natu

naturam. Quum enim interiores partes rerum aduſtarum & potiſſimum ligni nigras faciat, nobis oſtendit verum terræ colorem. Nam proprium coloris terrę nigredo eſt. Et quia terra eſt ſiccisſima, ideo ignis puram facit, & reſolvit in cineres, qui ſunt pura terra, ſiciſſima videlicet. In ſuperficie carbonis ruber eſt, & oſtendit aquæ naturam, quam in ſuo humido Deus finaliter inſtituit, ut in vita ſit rubra & ſanguis, atque animæ ſedes. Nam alioqui aqua in ſe alba eſt. Sed ab igne ſive à calido acquirit hunc colorem decreto Dei, ſuo nutu ſic nobis immortalis vitæ baſim demonſtrante. Æternus enim ille rubor eſt, ob vitæ unius æternæ in ſanguine hic demonſtrari ſolitæ (quæ forma noſtra eſt) eſſentiam. Hæc duo tendunt deorſum, & unum globum faciunt violato in aqua naturæ ordine.

dine. Nam debebat undique terra involui aqua, ſicut aqua eſt ab aëre, & aër à ſphæra igni deſtinata obvoluitur circulariter. Unde merito homo tanquam animantium omnium Rex dictus eſt à ſumma veritate per aptiſſimam ſimilitudinem piſcis. Quia niſi hic fuiſſet ordo naturæ violatus, aut nunquam fuiſſet, aut piſcis eſſet homo. Ignis cœruleus in radice flammæ tendens ſurſum, notat aërem privatione & habitu nobis cœruleitatem oſtendentem. Flamma alba ignis igneus eſt. Nam ruber ignis non videtur niſi in aquæ ordine, ſiccus hic eſt & calidiſſimus. Aër calidus & potentia humidiſſimus. Aqua humida ſed frigidiſſima. Terra frigida ſed ſicciſſima, & ideo à calido incineratur. Sicut calidum unitur cum humido ad vitæ baſim in ſanguine aut eius æquivalentia conſtituendam, ſic

agit aëris humiditas ſumme penetrans & calor moderatus in terræ ſiccitatem ſummam & frigiditatem mediocrē. Sicut itaque ignis calor ſummus & ſiccitas mediocris temperat frigus ſummum & humiditatem aërea debiliorē in aqua, ſic fit temperamentum inter aërem & terram, quæ eſt baſis & finis gravium in centro, ſicut ignis data ipſi ætheri, ſuæ alioqui corruptivæ ſedis regione eſt baſis & finis levium verſus cœlum. Violato itaque à ſapientia Dei orbium elementorum ordine, ex duobus aquæ & terræ videlicet factum eſt unum. Similiter propter ſalutem univerſi, ignis actualis, eo quod alias omnia aſſidue corrumperet, parte tenebroſa intra terram abdita, parte clara in ſtellarum corpora eleuata locum quintæ dedit eſſentiæ, quæ eſt regio Ætherea, cuius ſubſtantia eſt me-

eſt medio quodam inter aëream & igneam ſubſtantiam temperamento. Unde verorum Philoſophorum ſanctiſſimi dixere, ex horizonte, id eſt, ex concavo orbis Lunæ animarum noſtrarum ſubſtantiam deſcendere. Dionyſius Cartuſianus primo tomo. Concuſſa igitur terra, pars denſiſſima & ſaxis, metalliſque ſcatens, quæque erat centro proxima, aſcendit, inque montes eſt confirmata. Mari autem & aquis ceſſerunt ea loca, unde editiores partes ſunt elevatæ. Sed quia longe maior copia aquæ quam terræ erat, propterea opus fuit etiam divino imperio dimoveri à terræ ſuperficie & arctari. Nam alioqui in mari videtur tanta eſſe aquæ ſublimitas, antequam ad 40. millia paſſuum pergas, ut ſit quibuſlibet altiſſimis montibus ſublimior. Sed divinitus à Deo, & Lunæ motu removetur, ne operiat

riat terram. Est autem subtilissima aqua constans mare syncerae dulcisque aquae supra mediam Aëris regionem in refrigerium naturae & aquarum assidue consumi solitarum instaurationem. Unde summae nives sub polis, ubi nunquam sol elevat vapores : & summae pluviae in India tota, quando Sol est in intra tropicorũ vertice, ut probamus in Nili augmento, maxime secundo, tertio, quarto & quinto mense. Hinc illius maris, per cataractas coeli illius, aquae in Diluvio descenderunt. Unde etiam pluviae labroterae in vere & autumno, quando nil aquae rursus ascendere versus coelum videtur. Unde sunt vel, si ad literam intelligi debet, esse possunt cursus fontis Paradisi. Sunt aquae illae actu super firmamentum suum in media regione aëris positum, ubi eas aquas, quas assidue & usus consumit, & natura

ra omnino funditus delet (ut in Alembicis vitreis videtur) Deus aſſidue ita multiplicat, ut aſſidue inſtaurando ponat ibi aquam & nivem ſicut lanam. Nam & in aqua & in terra eſt aſſiduum elementaris inſtaurationis fermentum. Quod enim ex igne generentur elementa inferiora, falſum omnino eſt. Eſt enim motor & defecator & conſumptor ſolum non multiplicator. Nec enim quicquam procreat, ſed deſtruit, ut etiam ipſe cogitur fateri Ariſtoteles. Conſumit enim vegetando & non inſtaurat. Terræ itaque & aquæ aut commune centrum eſt, aut omnino proximum. Nam & in itineribus & in Lunæ globo per Eclipſin umbras rotundas videtur eorum una iunctorum rotunditas & globus. Longitudo terræ & aquæ una eſt ab ortu in occaſum ſecundum Æquatorem & parallelos

lelos, atque climata, quæ ex authoritate Ptolemæi in magna constructione sunt 19. citra, & totidem ultra lineam quæ est sub æquatore. Alii & maxime Ptolemæus Cosmographus, ponunt 7. citra & 7. ultra. Paralleli sunt illis dupli. Latitudo est secundum meridianum à polo ad polum. Unde quadrifariam dividitur orbis terræ in quater nonaginta gradus quaquaversum tendentibus in sphæra recta mediante finitore posito ad Moluccarum meridianum, & ad finem terræ, ubi primum meridianum posuit Ptolemæus, alioqui à circulo verticali & ab Horizonte fit eadem divisio. Sed non solet sic dividi orbis.

Divisio terræ.

IN Asiam, Africam, & Europam divisere olim orbem terræ, sed quia à tribus Noachi, Ianive filiis post

post Diluviem universalem est primo habitata, ita ut Asia fuerit maxima parte Semi, Africa Chami seu Chamesis, Europa Iapeti, opus est vocare Asiam Semiam, Africam Chamiam aut Chamesiam, Europam autem Iapetiam, nisi velimus Asiæ ideo nomen servare, quia illud est impositum ab Asia uxore Iapeti. cui Iapeto fuit universi ius concessum, quum Chamus fuerit constitutus servus eius & illi acquirens, & præter suum ius Europæum, iussus fuit ut in Semi tabernaculis habitaret. Præter has tres partes superest apud Antipodes novus orbis quæ est Athlantis à Platone memorata, sed de altero Iapeti nomine vocata. Nam Iapetus Atalus, & Atlas vocalium vario usu dictus est, unde & occiduæ parti Africæ & toti mari Athlantico nomen imposuit qui creditus est ibi ob astro-

rum

rum ſcientiam ſuſtinuiſſe cœlum in Orpheïca autem doctrina, eo quod voluit contra Ihovam ſuperorum Dominum tanquam gygantum Princeps inſurgere, detruſus eſt in inferius Hemiſpærium ad regnum inferorum ſive deſcendentis cœli, ubi cœlum ſive ſuperius Hemiſpærium ſuſtinuiſſe dictus eſt. Sed revera hæc eſt mythologiæ ratio, quia cõceſſo iure Regni temporalis ipſius Iapheti filiis, eo quod à regno bene inſtituto ſubſtinetur, perfectæ religionis cœlũ, dixere à Iove religionis moderatore fuiſſe detruſum ad ſuum Hemiſphærium temporale. Sed & propter doctrinam qua formavit univerſum, dictus eſt humani generis per ſe & per filium Prometheum (qui & Gomerus Gallus eſt) author. Aſia à Chameſia dividitur mari rubro & linea ducta ab eo ad mare mediterraneum. A Iapetia

petia autem partim mari mediterraneo ad Ægeum, Heleſpontum, Bosforum, Euxinum mare, & Meotida, adque anguſtiis Bosfori Cimmerij tranſmiſſam paludem partim Tanai fluvio & Duvina, aut linea ducta à Mæotide ad mare ſeptentrionale. Admittitur inter Iapetiam & Chameſiam mare Mediterraneum per Gibraltaris fretum, quo emittit mare mediterraneum eas aquas, quas à Ponto ex Danubio, Boriſthene & Thanai, à Nilo, Bagrada, Pado, Rodano, Eberoque magnis fluminibus recepit. Olim cooperuit hoc mare Numidiæ, Ægypti, Aſiæ minoris, Schythiæ, Theſſaliæ, & Galliæ Ciſalpinæ partem ad Venetiam regionem pertinentem. Habet ſinus multos ſed celebriores verſus Iapetiam ad Galliam, Hadriam, Ioniam, Atticam, Theſſaliam, Propontidem, Pontum & Mæotida

paludem, inde rursus ad Pontum, & transmissa Asia ad sinum Issicum & Syriam. Inde iuxta Chamesiam ad Syrtes. Asia admittit tria maria intra se, Arabicum, quod rubrum dixi, Persicum, & Caspium, quod caret patenti exitu ex maximis fluminibus conflatum, Rha, Oxo, Iaxarte & similibus. Coniicit autem non immerito Aristoteles emittere subterraneo fluxu aquas in mare Ponticum ad ea loca quæ κάθεα πόντου vocantur, eo quod bolís iacta nullum ibi fundum invenit. Nam & marinæ & fluviatili aquæ, tota terra confluxilis & pervia est, ut in hoc mari, in lacu Asphaltite, in Damasceno, in Nurhino, & omnium maximo Bono homo in Atlantide America innumericus aliis patet, ita ut inde pateat, omnino esse possibile, ut ex quovis altissimo monte aquæ possint non solum ad quatuor

tuor ſeiunctiſſimorum fluviorum Paradiſi terreſtris fontes profluere, ſed ubi libuerit curſum flectere. Præter illa, tres habet lacus in Media, quorum unus ſalſiſſimus eſt & rotundo ſale in fundo abundans, tribus diebus à Tauriſio urbe. Sic terra undique mari alluitur. Novis orbis à 50. gradu in latum verſus auſtrum uſque ad noſtrum polum patet, & mari undique cingitur, habens ab ortu inſulas fortunatas, quas dicunt hodie Iſabellam & Hiſpaniolam cum multis aliis. Sic dividitur orbis terræ bifariam, aut ſecundum cœlum in quatuor æqualia, aut ſecundum ſuas partes aqua nudatas, & ſic eſt Aſia, Chameſia, Iapetia, Athlantis, & quæ verſus Auſtralem polum alicubi aperta eſt, & quinto in loco vocanda Chaſdio. Sic enim in diſpunctionum Coſmographicarum libris qui apud Oporinum

ſunt typos cũ Zohare expectando, vocare ratione alibi dicenda ſum impulſus. Ubiquę ſunt multę inſulę, ſed nuſquam gentium maior videtur copia, quam in Moluccis poſitis ad orientalem Syrię partem. Indiæ citerior ad Calecutios multas habet. ſic & Septentrio, Athlantis, mare Ægeum & ſinus Hadriaticus. Verum ſecundum rationem quinq; parallelorũ antiqui dividebant univerſitatem in quinq; Zonas, duas ad polos inhabitabiles ob frigus, mediã ob calorem. Duas eſſe habitabiles & contrarias omnino habere tempeſtates. Sed tota terra ubicunque ſit, eſt habitabilis, & nihil eſt, quin conſuetudine fiat tolerabile: ut ex omnium gentiũ facie, quæ ubivis detecta eſt, patet. Licet itaque ſub polis ſint ſeni menſes noctis, poſt totidem diei: tamẽ ſemper ibi habitant. In media zona dies ſemper fere æquales

nocti,

nocti, tolerabilẽ æstum reddunt. Cęterum in habitabili illa quę ultra dierum minorum tropicum est, omninò fere est continuum mare, nec quicquam terræ prominet, nisi ad iuga Chamesiæ & Athlantidos. Est aliquid soli adhuc incogniti sub polo Antipodum nostrorum sive meridiano, quod quicquid, id est, ipsi Athlantidi, qui fere cohæret, ad fretum Martini Bohemi coniungemus, eo qui de novo orbe est. Alia item divisio nostræ habitabilis fit secundum septem climata. Sed revera singulis locis ubi dies est una hora maior quam in alio magis æquinoctiali vicino, debet constitui clima, hoc est, inclinatio umbræ. Unde à 12. horis ad 24. sunt 12. climata ponenda, donec videlicet facta dies 24. horarum (licet revera non possint ob subitam umbrarum mutationem differentiæ quinque ulti-

morum climatum diſtingui ſuper terram) & inde ad ſex menſes uſque, ſenſim creſcendo perdat umbrarum meridianarum rationes. Sic aut 24. Paralleli ſinguli horis dimidiatis, aut 36. ſinguli trientibus horarum, aut 48. ſinguli quadrantibus horarum reſpondentes deberent poni, ſi ratio umbrarum potuiſſet poni. Sed ſolo intellectu fieri poteſt.

De Cœlo figendo, aut ſiſtendo in terra.

VETUSTA Philoſophia magnum hominem obverſa ad Orientem facie, tergore ad occaſum poſito, dextra manu polum auſtralem, ſiniſtra aquilonarem monſtrante, quo voluere univerſum in quatuor plagas dividi. Fixi ſemper manent poli. Ortus autem & occaſus propter aſſiduum motum ſunt incerti, nec poſſunt uſquam ſimpliciter aut abſolute con-

constitui. Itaque sunt termini ad aliquid. Nec enim potest dici ortus aut occasus certus, nisi illius aut alterius loci vel populi adiunxeris. Divina autem providentia mirabiliter nostris temporibus dedit nobis figendi cœli argumentum certissimum. Ligula enim quadrantis horarii à magnete contacta nobis primum meridianum esse in fine Africæ & Europæ (quas Chamesiam & Iapetiam vocari volo) insinuat, ita ut non nisi in eo loco ostendat se filo meridiano subiectam. Deus ad hoc incogitantes Ptolemæum & Abilfedeam Cosmographos impulit, ut ostenderet id esse in cœlo confirmatum, quod ipsi in hac parte constituissent, nempe priscorum Abrahmanum & Noachitarum Chaldæorumve libris Propheticis inducti. Constitit itaque in suæ creationis die, quæ mundi quarta erat, Sol super me-

ridianum Moluccarum, ubi eſt Syriæ orientalis Oriens, & Paradiſi terreſtris, ſecundum maiorum ſententiam locus, ſummaque orbis terreni fœlicitas. Nam non ſtatim fuit intorta in hunc motum cœli machina quum aſſurrexit, ſed ſingulis partibus orbis terræ influxit ſuas proprietates, quas demum vegetaret, poſtquam iam ante triduo tantum unita monſtrataque duobus in Hemiſphæriis lux, lucida in ſuperiori, obſcura in inferiori fecerat tres dies ante ſtellarum Solis Lunæque formationem. Luna in oppoſitione in ſeptimo ſigno erat in occaſu. ſic confirmatis in terra Geniis aut Angelis facta eſt Regionum mundi proprietas. Unde fit, ut licet idem cœlum, cum eodem influxu & lumine ſemper agat, tamen ſemper ſibi ſimilia in ſua diſſimilitudine, loca mundi relinquat & ſervet,
adeo

adeo ut licet hominibus ſuæ patriæ diſpliceat conditio, tamen nunquam mutetur. Quia Ariſtoteles noluit cum ſuo præceptore admittere creationem mundi, non potuit videre hanc cœli ſtationem, quæ neceſſaria alioqui eſt. Nam inter principium & primam diem ſenſim Deus creavit materiam ex nihilo in Cœlum & terram. Ratione motus primi mobilis fit ortus & occaſus ſignorum & ſtellarum. Ratione autem Solis ſuo lumine omnia corpora contenebrantis, fit etiam ortus, quum ſtellas quas tegebat, relinquit extra radiorum ſuorum potentiam, fit Occaſus Heliacus, quum radiis maioribus minores obliterat. Quum itaque conſtituerimus Cœlum in ſui primordio fixo notatis tribus meridianis, uno ſuper Cambalu, altero ſuper Orientalem Syriæ Babylonicæ partem nempe ad

Susianæ sive Persidis Orientalem plagam, ubi ea de re Persarum Rex, tunc toto in orbe maximus, & Iudæorum genti libertatem, cuius causa mundus est conditus, reddidit: & templum Dei, Gentilium primus curavit rursus erigi. Tertio in fine terræ (nam quodlibet punctum longitudinis ab alio differens meridianum habet differentem, qui potest & Meridiei etiam & occasus nomine dici) opus est in terra constituere etiã singulis duodecim signis singulas regias, aut sedes regendi orbis universi gratia. Quarum sedium primam ob divinam electionem & primi signi favorem oportet in Syria sancta Ierosolymis reponi, alteram in Galliis Romæ in sua iura collocatis à Iano orbi parente. Sic decrevit Deus Cœlum & Humana ratio. Reipub. enim Christianæ, necessario toti terrarum orbi legem

datu-

daturæ ordo hoc propter commoditatem ſedium poſtulat, ut ad prima ſubſellia mundi, quæ in Gallia & in Judæa ſunt ratione ſui iuris conſtituta, conſtituantur decem alia loca. Chambalegh, Samarcand, Moſcovia, Chaſſuma, Benemotapa, Marrocha, Leucetia, Chaſda, Cuſroa, Quimra, ſub Romano Regno & Ieroſolymitano Pontificatu.

Provinciarum orbis ratio ex Cœlo conſtituta,

QUUM ſcopus totius ſcripturæ bene ordinatæ ſit, ut oſtendatur Deum habere rerum humanarum curam, ſatagendum mihi eſt, ut ſecundum electionem Dei & Cœli ipſius miniſtri influxum demonſtretur inſtitutio, duratio, ſucceſſus, everſio poſſeſſionum huius mundi: quorum alterum mihi ex Semi, Iapeti, & Chameſis progenie ex ſacris peti-

petita faciendum eſt, alterum ex cœleſti diſciplina tractandum. Moſes itaq; & Ptolemæus erunt mihi pro meæ tractationis baſi in medium adducendi. Cæterum ut etiam his qui ſunt in humaniorum litterarum curriculo verſati, conſulatur, adferam poſt præcipua loca compendium Ptolemaicæ Geographiæ in medium, ut eam decerpſit ex Ptolemæo Glareanus (eo quod nullus aptiori epitome illud argumentum tractavit.) additis mutatiſque neceſſariis, obſervationem demum etiam tabularum Ptolemæi ad rationes longitudinis & latitudinis accommodatam. Ptolemæus itaque quadripartiti ſecundo nobis eas regiones expoſuit, quæ primariis duodecim cœlum partibus ſunt ſuppoſitæ. Sed mira Dei providentia fecit, ut licet nuſquam viſa ſit concordare cum Sacra Scriptura Aſtronomia,

nomia, tamen quantumvis diſſitæ authoribus Diſciplinæ demonſtrent eandem rationem æternæ diſpoſitionis. Primi itaque populi mundi ſecundum ſacra in Iapeti (cui ſolidum Monarchiæ mundi ius à Noacho conceſſum eſt) Proſapia ſunt Itali, Galli, Germani, & qui à Gallis primo proceſſere. Demum Scythæ, Medi, Iones, Hiſpani, Moſcovii, Thraces. Gallorum Gomeritarum ve propago ſunt Scythæ ſeu Rifæi & Thagormæi, qui populi Scythici ſunt. Ab Ionibus venere Æoles, Cilices, Cyprii, Rhodii. Quum fuerit ipſe Chameſes per ipſam maledictionem exhæredatus, & factus in Repub. mundi nullus, non eſt quod illius in ſacra ſucceſſione meminerimus. Nam & quæ habuit in ſua Aphricana parte, & quæ habuit præoccupatione, ſunt Semo & Iapeto acquiſita, eo quod nullus erat in Republica

Quum

Quum autem ſint omnia deducenda ad ius & poſſeſſionem Iapetitarum, ea relinquam in ſua loca in Ptolemæo tradenda. Licet enim Chuſſæi ſunt à Chuſſo, paternæ impietatis veſtigia in cute nigerrima referente, Æthiophes, Mizrami ſive Mizir, ſeu Ægyptii, Phutæi, Mauritani, & Canaanæi à Canaan, tamen omnino nomina illius ſunt abolenda. Porro à Semo ſupererant Ioſephi temporibus pauca veſtigia nominum, eo quod licet fuerit in primo iure mundi, ut qui erat Melchiſedech & ſummus naturæ Pontifex, tamen quicquid erat in illius poſſeſſione ad dubitationem uſque, erat poſitum in Iapeti iuriſdictione. Arpacſad vocavit Chaldæos, à quorum regione vocatus fuit Abraham in terram Sur, ſive Syriam, quæ ab Aſſur detracto Alef dicta eſt. Ælamitæ Perſarum clariſſimi populi

puli sunt ab Ælam. Aram est Syrorum pater, unde & ad tempora usque Augusti quum scripsit Strabo, Aramæi dicti sunt. Sic enim dicit: Sunt admodum coniuncti Armenii, Syri, & Arabes, sive linguam, sive ritus vivendi, sive corporum cernas lineamenta. Et paulo post. Vocant enim Aramæos quos Syros dicimus. Hinc Erembos putant dici, pro nomine tribus populis communi. Lydi sunt Ludi propago. Nam V, in Y verti facile solet. Heber est Hebræorum parens. Cæteros voluit nomine ignoto esse providentia præter unum Huz, qui Hussitidis Regionis fuit nomenclator, unde Job est agnitus, & præter Hastarmaut, sive Chassarmaveth, qui Sarmathis dedit nomen. Sed de iis suo loco. Quum autem Providentia mundum regi à Magistratu duplici instituerit, Sacro sive Sacerdotali videlicet &

cet & temporali ſive civili, cuius utriuſque iudex eſt miniſter, voluit etiam, ut prima iura mundi his magiſtratibus aſſignata & Divini ordinis & Cœleſtis influxus rationem ita tenerent, ut iure Divino, Cœleſti influxu & humana ratione firmiſſime illud conſtitutum videatur. Quum itaque ſit nobis maxime ad eas orbis partes attendendum, unde nobis maxima provenere compendia, particulari deſcriptione & originibus eas potiſſimũ duas regiones attingemus quæ in Primogenitura mundi ſunt. Quum autem nil ſit clarius, fœlicius, aut magis admirandum ea Provincia, ex qua ius profluxit divinum, à quo potiſſimum unius Dei cultus exortus eſt, ex cuius gente demum Pontifex, Rex, & Iudex Paterque æternus Deus & homo Chriſtus Ieſus natus eſt, quæque ipſa vicina & obnoxia

ſum.

ſummis mundi potentiis, nunquam tamen potuit aut externis religionibus aut principatibus ſubigi, quandiu electi habitatores in ea ſunt verſati æquitate, quam illis divinitus accepta lex præſcribebat: merito prima tractatione in ea verſabor, ut illam pridem ſcripſeram, additis ante tractationem eius cauſis.

SYRIÆ DESCRIPTIONIS

Compendium, in Euangelii regni & Monarchiæ æternæ lucem, & assertionem conscriptum & comparatum.

Quæ sint Syriæ sanctæ Chorographiæ in consideratione præponenda, ut quanti sit ea tractatio, quivis auditori aut lector facile iudicet: & in quem scopum hæc sit comparata, iudicando factis demonstrare satagat.

SOLIVS pene regionis fœlicitate & fama inductus, quum lectorem Regium stipendiis agerem, incœpi ad Syriæ describendæ tractationem attendere, donec ex illa cupidine, verus mihi sco-

hi ſcopus illius deſcriptionis affulſit. In hoc enim potiſſimum tum iudicavi hoc operis debere ſuſcipi, ut Chorographia & Topographia illius lucem adferet præſtantiſſimę totius orbis diſciplinæ, quæ in ſacrorum libris & eorum interpretatione uſuque poſita eſt. At vero hoc totum feceram, ex ſola authorum lectione dives, nunc autem quum ipſam regionem præſens inviſerim, illique deſcribendæ, quandiu in illa egi, inſudarim, ut in amplo ſatis opere de reconditiſſima Orientis Hiſtoria, ſeu de Syriæ originibus traditum eſt, viſum eſt illi compendio, quod lector Regius emiſeram, paucula quædam prælibare, & ſi quæ ſunt, aut mea, aut illorum, ex quibus deſumpſi culpa corrigenda (nam à Typographis ſunt fere non pauciora errata, quam verba) corrigere, donec opus in Syria ſcriptum prodeat.

Nam mea ſcripta apud me nunc omnia non ſunt. Cur autem nunc rurſus in hanc curam deveniam, antequam ad deſcriptionem veniam, paucis aperire viſum eſt. Ante omnia enim inſtituti reddere rationem oportet. Locus in toto orbe ſublunari pręſtantiſſimus, fœliciſſimus, & admiratione digniſſimus eſt Paradiſus Terreſtris, quem conſtat ex ſacris fuiſſe ab initio plantatum, poſitumve in Oriente ipſius regionis, ex qua primum fuit vocatus Abraham. Atqui ab Orientali Syriæ parte vocatus, ex Chaldæa venit in occiduam, in qua ſcripſit Moſes eius poſteritatis & nervus & vindex, ut inde ad Chriſtum ibidem ſibi promiſſum veniret. Quum Meridianus circulus ſit baſis puncti Orientis & Occidentis: Syriam, cuius nobilior pars ſuo meridiano ſubiecta monſtrat Paradiſi locum, neceſſe

eſt pro

est pro nobilissima parte mundi constitui, & ut revera est, haberi. Dum hic de Terrestri Paradiso ago, duplici nomine ad litteram exponere satago. primo ut quatenus fieri potest sensus sacrorum ad literam prius constet, quam sensu absoluto, summo mystico, & vere spirituali. Secundo ut piorum catholicorum Doctorum sententiæ subscribam, quia putarunt, & scripserunt esse in Orientis regione fœlicissima, & ad orbem usque Lunæ elevata. Nam dum secretiores, sanctioresque Mosis interpretes impossibilem illius columnaris terræ elevationem videntes, perfectissime intelligunt Terrestrem Paradisum esse illum vitæ fontem Iesum, cuius vitæ & lucis sumus participes, nos docent, quomodo vere ibi possit esse Paradisus Terrestris. Nam Christiani catholicique doctores, notant nostræ ani-

mæ ſubſtantiam quæ lux & vita eſt, ex illa luce quæ omnia replet deciſa, devenire in nos, ex horizonte orbis Lunæ (ſicut pro concavo dicunt) proculdubio ibi elevatum eſſe voluptatis ortum ex terra, ad orbem uſque Lunæ conſtat. Et quum intra nos in vita noſtra qua nil dulcius, aut charius eſſe poteſt, hoc habeamus, ſi nos noſtramque originem agnoſcerimus, certe in Paradiſo Terreſtri vivendo iuſte in corpore eſſemus. Quum ubivis gentium (ſi quid ad pietatem facit locus) potuiſſet divinitus ex Nemrodi impia Pyroſebia vocatus Abraham deſtinari, certiſſimum eſt Syriam ſanctam, in quam fuit eductus, eſſe præſtantiſſima & ad fundandam religionẽ aptiſſima conſtitutione, & ad univerſi Baſim defigendam prædeſtinatione. Nunquam Adam pulſus Paradiſo, in Syriam Iudæam,

dæam, unde aſſumptus fuerat, rediens voluiſſet per ſepulturam ſuam ibi primum ſacrum locum mundi facere, ut in omnium ſanctorum & ſummorum Principum depoſitione videmus, & in iure humano legimus poſitum, niſi & divinæ & cœleſtis & humanæ doctrinæ peritiſſimus ſciviſſet ibi ſui peccati expiatorem debere naſci, & in ſuo vicariatu oportere ſuſcipi, quamvis in ſua perſona reprobatus ad quodvis tempus, ab ipſiſmet Iudæis fuiſſet.

Cœli terræque Dominus, & cuius ſunt omnia propria, nunquam voluiſſet Syriam ſacram PROPRIA ſua vocari & eſſe, niſi celeberrimam totius mundi cogniti regionem eſſe, credi & probari ubivis gentium voluiſſet.

Ianus ille univerſi ſecundarius parens, quum ex Syria illa in arcam diluviariam intraſſet, & rur-

ſus ex Armenia ubi exitum eſt, in eandem antequam in Italiam veniret, rediiſſet: nunquam ibidem conſtituiſſet pro ſummo mundi Pontifice Semum filium ſuum, qui & Melchiſedech, niſi ſummum & Dei & Cœli & rationis ſummæ favorem in eam procumbere vidiſſet, trium iuriſdictionum mundi peritiſſimus.

Ad quid vero ſummus primuſque Cœli favor & influxus, hoc eſt prima Arietis facies, una cum Leonis vi in eandem regionem ſub Phœnicum nomine influente, in eam procumberet, niſi ut ibi Baſim primæ potentiæ mundi, hoc eſt, veræ religionis ſtatueret, & omnibus potentiis mundi redderet invictam?

Summis opibus, potentiæ nervis, imperiis, & Principibus fretæ falſæ Religiones, innumeriſque ſacrificibus, & libris, ritibuſque munitæ, nunquam totis anno-

rum

rum millibus , maxime autem 1547. annis potuere evertere, aut gentem illam quæ rebellavit ſemper Regibus, aut ſuam Rempub. niſi 70. annis à Deo promiſſis evertere. Sed qui factum eſt ut in toto orbe illi uni quam Moſes, Syriacus & Abrahamicus nobis tradidit, ita funditus ceſſerint, ut hodie Chriſtianiſmus , Iudaïſmus, Iſmaëliſmus Abrahamo natus, orbi imperet. A Syria enim duxerunt originem. Nam Turcæ & Tartari ſunt decem tribus Iudæorum antea clauſorum in Arſareth. Et Mahumedes Iſmaëlitarum parens religioſus & nothus fuit Samaritanis ex Iudæa in Arabiam proſcriptis, toto decennio Meſſias, unde ſummam collegit Iſmaëlitarum potentiam. Cur ita à Providentia conſultum illi regioni eſt (donec Chriſtiani veternum excuſſerint) ut quum reges Perſarum (potiſſi-

mum aut Chosroes) edicto statuissent, nisi in toto orbe illis subdito omnes & singuli Christo homini Deo & Syriacæ Religionis vero instauratori conservatorique initiati, eidem renunciassent, occiderentur, ut cessantibus à Syria & vera pietate ibidem defendenda Christianis, Ismaëlitæ semichristiani & semiiudæi ibidem se idololatris opponerent, & templũ Homari in locum Salomonici servatis Christianis ecclesiis & populis? Ut adulteratis legitimis antea Christianis nothi succedẽtes, illos castigarent, probosque afflictionibus redderent, & cruce coacta, postquã sponte paupertate probra & dolores horrendo, vitã veritati præferebant.

Sed revera in hoc est electa Syria, & tot tantisque dotibus ornata, ut ab Occidente summum mundique clarissimum regnum ex Gallia videlicet & Gomeri-

meritis excitaret, ad hoc ut posita Imperii Basi ad Noachi, Ianive busta omnia in Syria ipsa restituat, & tantam ibi sub magistratu Melchisedeciano fœlicitatē constituat, quantam ibi ab æterno Deus adfuturam decreverat, quando Christum ut sui illum ibi reciperent, ibidem miserat, vel saltem post resurrectionem in suis vicariis primis agnoscerent. Hic vero est constituta totius mundi Basis, Anchora, & Clavus totius orbis medius, ut licet ubivis in rotundo terrarū orbe possit dari & poni medium, tamen non nisi in arce montis Zion possit dari, poni, & haberi, ut demonstrative sit scriptum: Deus, operatus est salutem in medio terræ, eo quod summo voto Dei Cœli & humanæ cupidinis bene ordinatæ, summa fœlicitas sit ibi destinata. Sed quum sit certissimum fore, ut sub Christo ipso,

qui

qui Syriæ proprietarius voluit, congregetur totus orbis , non tantum in vitam æternam, ſed ut Euangelium regni ante mundi conſummationem in toto orbe actu prædicetur in unitatem rationis & fidei, quæ fides, viæ tantum eſt , & non amplius patriæ, opus eſt id ſecundum ſacrorum præſcripta fieri , poſito in Syria ſancta congregationis centro, ad quod centrum collocata ibidem vicarii Chriſti ſede , ſicut Chriſtus pro Petro & ſucceſſoribus ſuis fieri prima & indefraudabili ſuo nutu voluntate decreverat, opus eſt ut ducto à Chriſtianiſſima mundi potentia in Syriam ſanctam Principio ab altero videlicet Arietis aſpectu conducatur motus iſte congregationis. Sicut itaque in Cœlo videmus per primi mobilis influxum ſeminibus totius mundi vires dari, & demum per motum octave

ſphæræ & ſeptem planetarum ab occaſu in ortum motorum proprietates earundem rerum, quas ſeminavit influendo ab ortu primum mobile colligi in ſe, & in ſua reduci genera ipſis ſeptem planetis ſubiecta, ſecundum ſanctioris Magiæ diſciplinam: ſic opus eſt, ut ad litteram intelligatur ſententia Prophetæ ubi ait: Ab Oriente educam ſemẽ tuum, & ab Occidente congregabo te. Sicut enim videmus ex Paradiſo ſive ex fœliciſſimo totius mundi loco in Oriente poſito, exiiſſe Adamum ad Syriam ſanctam, indeque Chriſtum per Petrum veniſſe Romam, & in ſumma ex Syria ſancta, quę nobis eſt Orientalis, exiiſſe omnes Religiones unius Dei cultrices (quod eſt ſemen Dei) ad totius orbis habitationem, & maxime ad occaſum prodiiſſe, ſic neceſſe eſt, ut à Chriſtianiſſima totius orbis occidui poten-

potentia congregetur ad Syriæ ſanctæ centrum, totus orbis.

Sicut enim civitas Diaboli (cuius caput Nemrod finis autem Romanus Cæſar) ſenſim ex Babyloniis, ſeu Aſſyriis ad Medos, ſeu Perſas, & inde ad Græcos, & demum ad Romanos aſſidue oppugnando civitatem Dei, donec Chriſti vicarius, eſt Simonis Magi, & Neronis Cæſaris coloribus omnino tinctus, ab Oriente in occaſum eſt profecta, prima iura mundi, fidelibuſque debita præripiendo: ſic opus eſt ut civitas Chriſti & Dei (quæ revera nil quietis ad hanc diem habuit) ab occaſu in ortum proficiſcens, ad Chriſti proprietatem univerſum orbem terrarum congreget, & ab occaſu in ortum reducat.

Hiſtoria itaque præterita in ſacris & eorum appendicibus poſita, & futura locorum & rerum omnium reſtitutio à Gallis

ibi promovenda, ſunt duo Scopi deſcriptionis Syriacæ, uti figura & figuratum.

De Syriæ nominibus, & eorum etymo.

IN omnibus linguis mundi requiri ſolita, & in una ſola, primaque lingua mundi conſtituta Etymologiæ veritas, nobis aperit Syriæ vocabulum, eſſe rei, aut Provinciæ conforme. Nam ut videmus per veteris Teſtamenti contextum, nullam plane totius mundi potentiam contra Abrahami poſteros quicquam poſt Ioſuem potuiſſe, niſi quum ipſi electi derelinquebant Deum, ita ut ſine ullis humani artificii muris eſſet ſolido muro divinitus comparato munita, ſic Deus voluit ut regio ipſa Dei murus diceretur שוריה Suriah, שור enim murus eſt. in nulla enim alia lingua mundi quicquam ſignificat.

cat. Arabes propago linguæ sanctæ vocant Ssam, id est, primariam nominis denominationem, famam, & stabilitatem. Hoc tamen vocabulum hodie vulgares Damasco attribuunt, quia habitatio Syriæ celeberrima est. Sed magis merito vocarint Damascum, quamvis ab Abrahami œconomo conditam Ssam per Ssin, quasi veneficam, eo quod totius sanctę Syriæ & populi Dei destructio ex eo hactenus pendet, quod perditissimus Princeps Achaz altare, & per consequens Deum, aut intelligentiam Damasci traduxit, & posuit intra templũ Ierosolymitanum. Terra Canaan est dicta ab assidua rerum humanarum cura & divinarum incuria, quam habuere Canaanæi in Chamo filio Noachi maledicti. Sed nominis Syriæ sunt aliæ multæ rationes. Nam à שרה Sarah quod dominari signi-

ſignificat, poteſt dici, eo quod abſolute & ἀντωνομαστικῶς dominiũ aut principatus totius mundi ſummus ea voce ſignificatur. Licet enim & ſint & olim fuerint inter Iudæos, Chriſtianos, Iſmaëlitas & Abrahmanes ſummi Principes, tamẽ omnes coacti ſunt in ea verba doctrinæ ſanctæ iurare, quæ non niſi ab ipſa Syria ſancta ortum habuit. Eſt itaque murus, ſtabilitas, & Principatus primarius. Notat etiam vox Syria aut Suriah ſummam & diligentiſſimam providentiam, aut circunſpectionem, qualis eſt in lege divina ibidem data. Unde & divinorum canticorum fons eſt, ubi demum eſt exaratum & trituratũ quicquid ſacroſancti Doctores bubus à Paulo comparati, divini verbi toti orbi enucleare ſatagerunt. Lingua autẽ Chaldaïca, quæ in ſecundo genere veritatis eſt, habitationẽ per antonomaſiam,

castra primaria, effusionem summam, & divinam satietatem nomine Syriæ intelligit. Quod summa omnia illi regioni tribuam, id eo facio, quia summus apex divinæ voluntatis cœlestis influentiæ & humanæ rationis, authoritatisque in ea versatur. Quum autem in sacris sola intelligitur, vocatur ארץ ישראל, id est, terra Israël, hoc est, eorum hominum qui summa charitatis violentia satagunt cum Deo luctari, & conformes Christo tam agendo quam patiendo fieri. Talis autem est virtuti veræ addictorum congregatio divini verbi luce prædita. Quum autem in sacris cæteræ nominentur Provinciæ, quas sub Syriæ nomine comprehendunt Cosmographi, tunc dicuntur ארם Aram, hoc est, sublimis Provincia: unde Strabo, Arimos & Arimæos Syros vocatos olim fuisse notavit.

Meſopotamiam vocant, ut poſtea dicam ארם נהרים, hoc eſt, fluviorum duorum Syriam. Occidua autem pars dicta eſt פלשת hoc eſt Palæſtina propagata gens à Mizraim, id eſt, Ægyptiis per Patruſios, aut Arabiæ Petreæ populos. Sonat autem illa vox ruinæ poſitionem apto genti vocabulo. Græcia vocavit eam potiſſimum plagam φοινικίας nomine, non à palmetorum abundantia, ſed per ſimilitudinem ad raritatẽ avis Phœnicis aut quod magis crediderim quod primi cultores fuerint Poneeſch, hoc eſt, ignis inſpectores & cultores Baali, ſive Solis. Hæc enim una Provincia ſemper ex ſeipſa affecta & deſtructa in eoſdem cognatus religionis toto mundo dandi reſurgit, & ſuis dogmatibus iam toto in orbe ſuſcitata eſt, quum in ſe periit. Omnes enim artes quibus humana vita

reddita est cultior ad Phœnicum inventionem referuntur. Sed de Etymo satis. Quum enim videamus sicut ex ea fons omnium summæ authoritatis legum hoc est sacrarum, quæ unius veri Dei cultum, docent processit, sic etiam Plinio, Mela, Strabone aliisque plurimis authoribus testibus omnes artes ex hac una Provincia sancta ad litteras & doctrinas usque esse natas, nullum est dubium quin sicut divino, cœlesti, & humano voto prima est, & sicut primas Etymi sui rationes servat, ita effectus totius mundi præstantissimos toti orbi parturivit, & hinc oportet in ea omnia restitui.

Quo tendat tantæ in una Provincia excellentiæ scopus.

LICET universis summus pontifex & Imperator Christus suæ divinitatis rationem omni-

omnipotentiſſimam, & à nullo rationali animante refutabilem demonſtravit, & quum & ſuæ proprietatis regno, & iure, & vita per ſuos (ſuapte tamen voluntate aſſentiente) privatus adnihilatuſque (quatenus ſummus pontificatus mundi, & ſumma Monarchia mundi in eum committere potuerunt) dum & pontificatus Aviti ſedem fregit, & Romanam Monarchiam ſibi ſubegit, ut nunc videmus: tamen eius regnum hactenus de hoc mundo nunquam ita fuit, ut vel ætatem unam veræ libertatis in eius Eccleſia videre licuerit: unde ad eius poteſtatem in terra ſicut in Cœlo monſtrandam neceſſe eſt divinitus eius ſpiritu plenam ſuſcitari potentiam, Monarchiæ temporalis videlicet, quæ omnino ad regnum Euangelii & Euangelium regni ſit comparata, & ſummo Pontifici aſſiduo vindici eiuſ-

dem regni ſit aſſidua vindex, Quare ſcopus huius tractationis in hoc eſt, ut ſicut militem, & vires corporeas in ſuam Monarchiam comparat Rex Chriſtianiſſimus, ut ſit optatiſſimæ pacis Eccleſiæ author, aſſertor, & conſervator : ſic & nos qui ſub tam fœlicis Principis legibus, & ſub ſummi populi mundi fatis in diſciplinarum omnium acquiſitione verſamur, eo contendamus, ut cordium univerſi victoria illi ad hoc comparetur, ut adhibito in primis ad regni Chriſti in proprietate Syriæ conſtituti Baſim, animo, univerſum orbem in ſacram expeditionem, & votis pertrahat, & perſonis. Ad hoc enim in ſumma totius orbis univerſitate Chriſtus Romæ, Ieroſolymæ, & Athenarum ſummum ſpecimen litteras, & Diſciplinas videlicet, ut in regno chriſtianiſſimo collocavit, ut fructus, & finis

nis earum in regni Christianissimi Basim transeat, per eas rationes quas subiungo.

Cur ad Gomeritas Gallos pertineat Syriam instaurare.

QUUM sit necessarium, ut (sicut ab æterno Deus instituerat, humanus autem omnium gentium consensus nullo modo suis votis defraudandus optat) sit unus in uno modo, sub uno Deo Princeps, qui omnibus præscribat, illius gentis, & populi primario consensu eligatur necesse est, penes quem (omni fœlicitatis capite dotata ipsius regione) primogenitorum mundi ius reposuit, cuius nomen sit totius orbis terræ antiquissimum. Qui fidem primariam, nempe de animorum immortalitate, & de summa sapientum, & sacerdotum authoritate, ut apud Gentiles ante Christi adventum semper habuit, ad

quem prima totius Europæ occupatio pertinet, cui etiam vi armorum & ſecundariæ occupationis iure ſecundo ſucceſsit ſubacta Europa, cui Cœlum primarium influxum infundit, ad cuius ornamentum, & inſignia, & ſacra unctio eſt cœlitus demiſſa, de cuius inſignibus, nomine, gente, & regno eſt ab æterno in ſacris conſtitutum, penes quem eſt nata, luſtrata, & reformata Romanorum Monarchia, cuius arma imponunt ſacris Templi Dei myſteriis Colophonem, de cuius Monarchia, & antiquiſsimi ſacrorum interpretes, & ſinguli qui nunc ſunt in orbe populi, habent Prophetias ſibi certiſsimas, penes quem agit ſummus ille ordo, qui ſacris verum ſenſum diſtinxit, & ex Apoſtolico ſenſu repetivit, confirmavitque, rationi ſummam veritatem adnexuit, hoc eſt, ſacram, & Chriſto ſummam

mam ſervavit authoritatem. Cuius Rex ipſa lectione miracula edit, ſummus autem eſt Eccleſiæ Dei vindex,& Chriſtianiſsimus, cuius regio , & gens eſt clariſsimis totius orbis commentariis, hoc eſt , vel ſolius Iulij Cæſaris illuſtrata. Cuius ordo ſacer etiam conflictu audentibus Principibus præſcripſit , in cuius regione fuere, & Reges Philoſophi & amatores Sapientiæ , moderatores , cuius regionis Genius tam formidabilis Romano fuit , ut Romanos deſperatis rebus humanis ad ſupplicationes , & ad cogendum ſacroſanctum ærarium,& ſenes , ſacerdoteſq; alioqui immunes,ad militiam contra motum Gallorum cogeret: cuius regnum tam valide eſt divinitus conſervatum , ut aſsidua ſeptingentorum annorum impugnatione poſt iniuſte ipſi ablatam imperii poſſeſsionem , per ipſas

imperii iniuste ablati vires instar veræ virtutis, & Ecclesiæ Christi sit redditum vivacius, potentiusque. Quod regnum ope humana destitutum, & fere eversum divinitus excita puella restituit, in quo est summa totius orbis victoria, & finalis quæ cordium est, ubi iam 700. annis agit ea facultas, quæ tandiu Christo suum ius, imperiumque sola asservavit, sacris veri sensus limites, & coronam imposuit, Antinomias, & Antilogias interpretum omnium Duce ratione enucleavit, rationem possibilem omnium sacrorum tradidit, in summa cuius gentis Princeps est in primo merito mundi, & ea de re summo donandus præmio. Cuius gentis Ecclesiæ datum est, ut in Claromonte sanctio sit de Iudæis convertendis, & Ismaëlitis per suas Arabicas litteras attrahendis edita, & demum ut opes, & ius prima-

primaria qua Reformatorum universi consortium stabilitum est, ex eadem Galliæ urbe sit Parisiis collata. Quæ una fuit gens tam felix, ut nullum unquam Regem sectarium habuerit, primarios Christi hospites statim post eius Ascensionem Iudæa proscriptos receperit, & in hanc usque diem observaverit, & quæ ut à Dite, seu Pluto, aut Paluto inferorum regni Principe ortum habet, ita extremo Christi, caput alioqui instar cæterorum morientium inclinantis spiritu super Galliam emisso, electa, confirmataque fuit, & ob id reformatorum ordinem toti orbi peperit, & iam in totum orbem per Romam emisit, solius Iesv nomini gloriam adscribens, & Lusitaniæ seu Portugalliæ, Hispaniæ, & suæ Tzarphatinæ, seu Gallicæ nationis in ordine primæ vires uniens ad Domini regnum parandum.

Ut itaque rationem interiorem restituere orbi Christiano; & ante omneis patriæ meæ, & primogenituræ, in variis operibus explicare sategi: sic primi officii mundi rationem demõstravi esse Gallis collatam ad hoc, ut ius sibi concessum in Carolo magno de sede summo pontificatui eligenda de potentia in actum omnia in Syria restituendo deducant. Nam hoc est ante omnia curandum, ut ibi sit summa sedes, unde & recta ratio, & locutio profluxit, ut iure ubique cognito, iam est constituta ubi verbi Dei, authoritatisve primariæ manifestatio primo facta est.

Syriæ regio, ut est tam prophanis, quam sacris authoribus commendatissima, suaque fertilitate longe notissima, ita & pene ab omnibus est aut partim, aut in universum descripta. Itaque

que videar operam ſuperfluam in ea deſcribenda collocare, ſi priſcorum tantum imitari velim veſtigia. Verum quod ea regio ſit ab authoribus diverſarum perſuaſionum pertractata, nullusque ſit (quod licuerit videre) conatus Ethnicorum, & noſtræ perſuaſionis hominum, quæ de illa ſcripſere, in unum reducere: viſum eſt, quum una, eademque rerum veritas ab utriſque quæratur, quantum noſtra in litteris diligentia poterit præſtare, omnium conciliare placita. Primum itaque antiquiſſimos de ea ſcriptores: ſecundo ut tulerit ætas, ſum imitaturus, & maxime quæ ipſemet oculis obſervavi propriis ſincere traditurus, ut noſter labor lectores conciliandi levet faſtidio. Quum vero potiſſimum meum ſit inſtitutum, iuvare noſtræ Religionis ſtudioſos, inque verorum ſtudiorum fines conducere,
tamen

tamen universæ Syriæ divisionem ex authoribus humanitatis tradere volo. Demum de illa quæ ad nostrum præcipue institutum facit, facilius tractavero.

Syria igitur, ut generali vocabulo intelligitur, finitur ab Ortu, flumine Tigri, ab occasu mari nostro, & Ægypti parte, à Meridie Arabiis Petrea & Deserta & maris Persici parte, ab Aquilone Armenia maiore, & minore, monteve Tauro, quamvis & Adiabæne, quæ illius est pars, ultra Tigrim fluvium ad Choatram, & Niphatem montes est, ut & Sophene, aut Sophosene in Armenia maiore (quæ revera vocabulum ab Arimis, id est, Syris habet) illi à multis adscribantur. Continet in universum regiones secundum mare nostrum incipiendo à Meridie Ædumæam, Palestinam, quæ & Iudæa, Phœniciam, Dama-

Damaſcenam, & Seleuciam Pieriam, à Septentrione Comagenem, & Chalſitim, ab ortu Meſopotamiam, quæ & Aram neharim, id eſt, Syriam fluviorum dicitur, quod ſit inter Euphratem, & Tigrim media, atque Babyloniam, quæ alias Chaldæa dici ſolet, & patrio vocabulo Chaſdai à Meridie habet Trachonitidem, & Arabiæ partem: & præterea huius Perſici partem fere ad Orientales uſque Perſidis fines. Nam Chaldæa eo uſque olim fuit protenſa, & ulterius ante Perſarum Imperium. In media ipſa regione Chalybonitidem, Chalcidicam, Palmyrenam, Laodicenam, & Cœlem. At quia non de ſingulis illis dicere decrevi, tantum quæ in illis ad argumenti rationem facere videbuntur, attingam, in unam Palæſtinæ, Iudææve deſcriptionem ſtilum collaturus. Babylonia ab ortu habet Tigrim,

grim, & Euphratem iunctos à meridie, mare Persicum, ab occasu est illi Arabia deserta, & Mesopotamia, quæ illam item à Septentrione cingit. Ex ea fuit nostræ persuasionis Princeps Principiumque Abrahamus, qui oraculo divino persuasus, præsentes reliquit opes, ut promissas sequeretur, & etiam 520. passuum millibus dissitas quæreret. Illic est Orchoa, alias Hur Chaldæorum, ubi erat magnum Pyræum falsæ Religionis fanum, nam Urignem notat, Covah robur, & vehementiam. Ibi flumine utroque iuncto alluebatur Babylon, à Nemrodo cœpta, Belo, & Semiramide absoluta, Nebucadnezaro instaurata, olim 60. m. p. in ambitu habens, nunc deserta, iuxta quam est nunc Bagdet, aliquando regia Calephorum, & Persarum: nunc Turcæ illam Sophianis eripuere. Pars illius

Pharsi

Pharſi, id eſt, Perſia dicitur, quæ ſcilicet in ortum vergit. Nam Perſiam litteræ, p, defectu, dixere Barbari Pharſi & Pharuſi.

MESOPOTAMIA etymo fines aperit, quaſi dicas medifluviam, niſi quia ad Septentriones habet montem Taurum, aut Armeniam maiorem. Clara eſt Niſibi, ſeu Ninive urbe, à Nino ædificata, ad quam miſſus eſt Ionas Propheta. Huic à Borea imminet Aſſyria, olim pars illius. Nolo hic Carras Craſſi recitare, ne Romæ urbi tam ſacris, quam opibus, & artibus mundum ſpolianti refricem ſui meriti memoriam. Illam à Septentrione ſequitur Comagene terminata Euphrate, Armenia minore, Amano monte; Seleucia, Samoſata urbe clariſſima. Seleucia, Chalibonitis, Chalcitis, Pieria, Palmyrena, ſuis urbibus no-

men Provinciæ ſibi peperere. Memorabilis autem maxime eſt Palmyrena ob Salomonis inſtauratoris myſteria, in cuius nomine abdita. Dici enim voluit תרמור, id eſt, Palmam cum littera Daleth, quæ mediis in deſertis eſt.* Laodicææ, & Apamææ eadem eſt ratio. Damaſcena, Cœle, Tracheïa, vel Trachonitis ſunt in nobis propoſita Syria.

Hæc itaque ab occaſu habet mare noſtrum, à meridie Arabiam Petream, Ædumeamque, ab ortu deſertam, à Septentrione Libanum: & quamvis Phœnicia habeat ampliorem apud aliquos authores deſcriptionem, tamen quia Ptolemæus illam Palæſtinæ adiungit, illum magis decrevi in ea parte ſequi.

Univerſa itaque Syria, quam terræ ſanctæ vocabulo nominamus ab Ortu habet monteis Libano

bano continuos, & partem Arabiæ à Borea Libanum, & Lineam ductam ab eo ad mare: ab Occasu mare nostrum, ab Austro Arabiam Petream, Ædumæam, & montes Malanes, quos Sinaï, & Oreb dicimus. In ea est ab ortu Trachonitis, à Septentrione Damascene, Phœnicæ, & Cœle, à meridie Idumæa, in littore maris nostri citra Iordanam, Iudæa, quæ Galilæam, Samariam, atque Palæstinã comprehendit. Quamvis post Salomonis tempora decem Tribuum Chussæarum factione, est separata ab obedientia Iudææ tam Gallilæa, quam Samaria, & Iezraël. Quarum omnium, ut sit tractatio clarior, ita descriptionem tradam, ut tempora tulere. Quum vero nil ex sacris libris antiquius in ea habeamus Canaanæorum reproborum hominum præoccupatione, qui illam habitatam, cultamque

pro Abrahamitis reddidere, de istis autem sit tacendum, de introductis in illam Israëlitis agemus: ubi nil memoria se offert dignius, quam ut cognoscamus illam in duodecim tribus à Iehosua distinctam, ut promissa Abrahæ hæreditas in filiis locum post 500. annos haberet. Primum itaque illarum positiones partium adinvicem collocabimus, ita tamen, ut ipsos ex Ægypto in promissam hęreditatem primum per 42. stationes Ecclesiæ cursum significantes traducamus.

Relictis ergo peregrinationibus illis in suum locum, quas expectantes promissionem fecerunt, primum afflictos laboribus filios Iacob in Ægypto in terra Gossen, id est, accessionis accipio, deducoque per stathmos suos in terram promissam.

De Accessionis igitur terra collecti sunt in Rahmessess. id est,

eſt, gaudii ſtrepitum, donec in Sucoth, Tabernacula videlicet tranſitoria, hinc fortiores, perfe-ctioreſque venere in Ethan. Inde ad Principium ora Phiachirot, è regione turris Magdal, ad Bahal Tzephon. Indeque recedente di-vino præſcripto maris æſtu, per ſiccas arenas pro littore tranſive-re. Iam Suph, mare rubrum, ſeu Caricoſum, alias rubrum: conti-nuoque trium dierum itinere, dum regem ſubmerſum per de-ſerta ſicca fugiunt, veniunt in Marah amarorem, & laboris, & aquæ amaræ illic repertæ. Inde Elim arietum, fortiumve: ubi & palmas myſtico numero, & aquã habuere. à quo loco iuxta ſinum extremum maris rubri quod iam Suph dictũ eſt, id eſt, caricoſum, in Sin deſertum inimicitiarum venerunt, unde Daphca pulſatio eſt ſecuta, à quo loco Alus fer-mentavit illis manna, & coturni-

ces in desertis Sin , inde Rephidim videre manus remittendo. Duodecima vero statio fuit illis in Sinaï tertio mense à quo iam discesserant ab Ægypto , aut ut præcisius observemus. 50. die. Illic legem à Deo Moses recepit, venerunt vero à Sinaï ad sepulchra concupiscentiæ Kiberoh hatauah , unde in Chatzeroth atria scilicet, ut Retimah in deserto Pharan, irent Rimon Pharetz, secando mala punica , unde in Lebna lateres, atque Ressa, & Cahalta Ecclesiam , 20. in Sepher pulchram, post in Harada miraculum scilicet , unde Machalot, Thahath, Tharah, Nathca, Hasmonah , Masseroth , Bene Iahacan, Gadgad, Iethbatha, Ebrona, 32. id Asion gheber portum maris rubri ad Haïlan , unde ad Tzin, Hor, Tzelmona, Phunon, Oboth , Hic Haëbarin, ad Dibbongad , inde Almon Deblataiema,

ma, Habarin in tranſitu torrentis Arnon, in monte vero Abarim ſublatus Moſes deſideratus eſt rapiente ipſum nube. Moab, Abelſitim ubi Balaham volens maledicere, præſagivit de Chriſto. Totis itaque 40. annis ille populus à Deo ſervatus in ſolitudine, ſua meruit ingratitudine, ut tantum Ioſue Hebræus, & Chaleb ingrederentur terram ſanctam, ad quam explorandam miſſus fuerat Chaleb. Cognita ergo regione inter Bethabara, & Ægla tranſivere ſicco pede fluenta Iordanis non longe à mari mortuo, aut ſálſo, ſeu ab Aſphaltite lacu, & Iericuntem ampliſsimam civitatem miraculoſe ſubſidentibus muris eius ad tubæ ſacræ ſonum everterunt. Devicta demum maiori illius regionis parte. Ioſue ſingulis tribubus præter Leviticam (cui ſuæ oblationes, & domus ſatis amplum pro ſacris præ-

mium putavit, Mosis sequutus mentem) suas terræ sanctæ portiones adiudicavit, quæ undecim fuere. Nam duodecimam partem Enakim dedit Chalebo, Quam divisionem ut melius possim explicare, suisque terminare finibus, visum est paucis celebriores partes Palæstinæ prius describere. Littoris secundum mare nostrum extensio est ab Aquilone in Lybonotum. Extenditur vero per 160. mille passus, ut inquit Hieronymus illius admodum diligens explorator. Ea vero longitudo recta linea, à fontibus Jordanis, seu à Dan in Bersabee, aut Bersammam, eadem mensura observatur, nisi qui navigantibus littorum anfractus reddit aliquanto longiores vias. Latitudo vero ipsa est à Syrbonitide palude, quæ ipsa parum, in Austrum à Rinocorura ab est, per deser-

deſerta ad montem Tzehir, & mare mortuum, 103. fere millium paſſuum Jtalicorum. A Tzidone ad Damaſcum per Libanum montem uſque in Hermon (quem Alſadanum, & Hippon videtur appellare Ptol.) Septentrionalis latitudo pene par priori eſt, niſi quod aliquanto anguſtior. Secundum vero Hippon montem Orientis parte limes eſt, uſque ad Petram Arabiæ. Ille quidem mons à noſtris ſacris dictus Galhad, Abarim, ad Moabitarum monteis dicitur. Montibus itaque fere tota regio clauditur, à meridie habet Melanes monteis, quos nos Sinaï, & Horeb vocamus, celebres legis inſtitutione: præterea Moabitarum ad meridiem maris mortui, ab ortu, & Septentrione quos diximus. Mons vero qui in Ieruſalem eſt, coniunctus eſt, teſte Paulo, per ramenta ipſis mon-

tibus Sinaï, mons enim Sinaï per ſua ramenta in Septentrionem fere uſque ad Galilæam protenditur, quæ eſt ad 40. ſaltem millia paſſuum ultra Ieruſalem. In dia vero nil montis eſt celebrius Thaboreo, Carmelo (cuius Thabor, aut Itabyrius videtur Ptolemæo pars eſſe) atque Ephraïmio. Primus habens annexam Nazareth non longius à mari diſtat 45. millibus paſſuum, à Solymis duplo. Alter, mare attingit, protenditur tertius, veluti ſecundi ramentum inter Samariam, & Jordanem. Sunt & alii quidam fama, quam re ipſa maiores. Verum poſt fines, atque monteis deſcriptos, quibus aquis alluatur, præcipue eſt tradendum. Nullas habet nobiliores ipſo Jordane flumine, qui illam pene ab ortu terminat, ortus duplici ſcaturigine Ior, & Dan, unde nomen, aut ut alii volunt, Phiala fonte non

longe

longe hinc diſtante , à quo per cæcum alveum in alterum fontẽ procedit curſus. Verũ longe ampliores aquas quã ex Phiala, aut ex Jor , & Dan accipit à flumine inter Libanum & Antilibanum fluente cuius fontes ſunt iuxta Heliopolos Syriacæ ,quam nunc Balbec vocant ,rudera. A Phiala vero diſtans fere 40.millia paſſuũ devenit in lacum authoribus humanitatis Smechonitidos nomine vocatum,quique à noſtris vocatur Meron palus : à quo loco, ubi ſingulis æſtatibus aquæ extra alveum ſiccari ſolent, venit in alterum magnum quidem illum, ita ut maris nomen ipſis obtinuerit. Primi vocabant lacum Genezar,poſteriores Tiberiadis, alii Galılææ, in quo pars Torrentis Ciſon ab occaſu recipitur. Alluit lacus ille plures urbes , & vicos, ſed celebriores quum extabant ab occaſu Caphernaum, & Tyberiada,

riada, ab ortu Genezar, unde primum nomen ſtagno. Maxima vero locorum multorum difficultas inde oritur, quod iſtud mare variis nominibus à locis, quos citra, vel ultra alluit, nuncupatur. Inde item per alia ſexaginta millia paſſuum devenit in lacum Aſphaltidem, aut mare mortuum, adhuc ultionem divinam redolentem. In eo enim erant quinque civitates, quæ ſuo ſcelere ſunt ſubmerſæ. Et valde certe eſt Dei iudicium ob hoc ſcelus notandum, quoniam etiam apud Atlantidas Peruenſes eadẽ ultio contigit ſupra Gigantæo corpore homines qui igne cœleſti ſunt exterminati ad B. Helenæ Promontorium. Lacus eſt verſus meridiem extenſus ad 90. millia paſſuum duplo, ſeſquialtero ambitu, nunquam latus ultra 30. millia paſſuum. In eo perdidit aquas ſaluberrimas fluvius,
odio-

odioque bitituminoſi lacus cæco alveo perire mavult, quam aquas miraculoſas miſcere peſtilentibus.

De ſuis ergo poſſeſsionibus deturbatis nationibus Chananæorum (præter Ghebaonitas) occiſiſque Chananæis, ſcilicet Iebuſæis, Pherezæis, Æmorrhæis, aliiſque illis adnexis, aut faventibus nationibus, diviſa eſt terra ipſis, quibus erat promiſſa.

Antequam tranſirent Iordanem, Moſes conſtituerat Ioſue, & cæteris ducibus, ut pars illa, quæ eſt ultro Jordanem ad Hippon montem, cederet tribui Reubanitarum, Gadæorum, & dimidiæ Menaſſæorum, quia illi erant induſtrij homines, paſcendiſque animalibus, quibus illa regio plurimum pabuli adfert, aptiſsimi. Hodie à Nomadibus Arabibus potiſsimum colitur ea pars.

Novem vero tribubus, & dimidiæ

midiæ Menaſſæorum, quæ ſunt citra flumen. In Trachonitide ergo, quæ & Ituræa eſt, fuere paſcua Menaſſeh, iuxta illos Gaditæ, inde ad Bethabaram, & Aroër, quæ in montibus eſt ad Arnon torrentem, & reliqua quæ Arabiam attingunt deſertam, habitarunt Reubenitarum familiæ. His qui habitarunt citra fluvium, hoc fuit omnibus commune, quod mari noſtro alluuntur ab occaſu hoc ordine, à meridie ad Septentriones, aut ut dixi, ab Africo in Aquilonem, præter Beniaminitas, qui à Jericunte Jeroſolymam uſque tantum, aut ſaltem paulo ulterius ſunt progreſſi, Simeonitæ, Iehuditæ, Danitæ, Ephraïmæi, Manaſſæi, Aſſeritæ, Zabulonitæ, Nephtalitæ, quibus ſi addes Beniaminitas, Gadæos, & Reubenitas, tribus II. compleveris, illis accedens duodecima levitarum, quibus ſuæ urbes ſunt aſſigna-

aſſignatæ, imponet colophonem. Verum quia non ſatis videor aſſignaſſe rem ipſam, niſi & limites omnium præfinivero, tradendi imprimis illi mihi videntur. Simeonitæ igitur habent à meridie deſertum Sin, quod Arabiæ arenas hodie dicunt, & torrentem Ægypti, id eſt, Syrbonitidem paludem, ab ortu lineam à Berſemma, aut Berſabee ad Bethlehem, & inde ad Gazam novam. Quam vero numeroſas urbes, populoſaſque temporibus Ioſue habuerunt, ut non poteſt videri, niſi nomine, ita parum refert. Conſtitutis enim tribubus, illi aſsignabimus, non quas urbes illi tunc habuere, ſed quas tempore Chriſti Ieſu, Ioſephi, Hieronymi, & noſtro, habere regiones cognitæ ſunt. Libido enim prædonum orbi imperitantium, aut funditus quotidie urbes delet, aut ſemidurutis nomina nova confingit
de

de ſui ſceleris memoria. Iudæ tribus fuit, 2. loco ab auſtro finita ſuperiori, ac reliqua deſerti parte, ab ortu mari ſalſo (quod ſic per antonomaſiam dicitur ob ſummam ſalis illius amaritudinem, & vim) aut bitnminoſo, & Iordane, Septentrionem claudit Beniamin, & Dan. In tam parvo terræ augulo fuiſſe ſine vicis, & villis, 104. urbes mihi cum miraculo relinquit argumentum, & populoſæ Provinciæ, & nunc effœtæ, aut neglectæ in eo ſolo naturæ. In hac celeberrima Bethlehem Chriſti natalitiis clara, olim urbs, nunc vicus exiguus. Beniaminitarum pars, quæ Solyman habuit à meridie Judæ proximam, à Septentrione Ephraïmeam, ab occaſu Danicam, ab ortu Jordanem, pars, ut inquit Joſephus, mole minima, ſed opibus excellens. Illi Dan occaſum eſt, inter Ephraim, & Judam, ſequens ab

ortu

ortu Jordane, Aquilone Manaſſæorum ſorte dimidia clauditur. Manaſſe inter hanc, & Carmelum montem eſt ad Scythopolim uſque, quæ illi ab aurora eſt, cui continui Aſeritæ, Zebulonitas partim à Septentrione habentes, hi ab ortu Nephtaleos, illi ad Manaſſæos, & Ituræos, his montes Solem Orientem tegunt, ſecundum Gaditas, & Reubenitas, qui ad Aſphaltidem lacum ſunt. Hæc de finibus.

Nunc de urbibus, & rebus cæteris celebrioribus in tota Syria eſt dicendum, ubi non obſervabimus qua in tribu ſingula ſint, quaque occaſione celebrata (eſſet enim infiniti inſtituti iſta perſequi, & præterea iam in Gallica illa terræ Sanctæ deſcriptione, quam Concordiæ Euangeliſtarum, & in maiori Syriæ Chorographia expoſui) verum nobiliora nulla prætermittentur. Sed an-

tequam ad particularia nomina urbium venio, conandum eſt, ut Provincias in quarum nomine nobis, & authoribus humanitatis convenit, noſtris aptemus tribubns. In Jdumæa ergo eſt pars tribus Simeon, & pars Iudæ, quæ ſcilicet ad montes vergit. Iudaïtæ, & Beniaminitæ cum Dan, & Ephraim occupant Palæſtinam, quæ proprie Judæa eſt. Samariæ Ephraim adſcribebatur, & Manaſteh. Galilæa vicina eſt duobus lacubus, Phœnicia mari proxima ad radices Libani montis, qua procurrit in ortum inter Libanum, & Antilibanum eſt Cœle Syria Trachonitidi, quæ Hutz ſancta voce dicitur, proxima eſt. Noſtris vero, præter dictos, ſunt in ortu Moabitæ, & Ammonitæ, ad Orientalem plagam maris ſalſi. Plinio vero erant Eſſeni, continentia inſignes, ad occiduam illius partem non longe ab Enghedi.

ghedi. Decapolitanam etiam à decem urbibus vocavit partem illam, quæ Damaſco proxima eſt. A noſtri littoris finibus veluti à notiori, & celebriori utriuſque authoribus plaga, incipiam deſcribere, à parte Ægypti vicina exordium ducens. Quia limes eſt notior à Torrente Ægypti, ſeu à Syrbonitide palude, inde in Rhinocoruram, quæ in littore è regione Berſeba eſt, tendo. Ea vero dicta eſt à naribus mutilatis, qua pœna proſcriptos Ægypto Æthiopes victores in illam mittebant. Illam ſequitur Anthedon Gazæ celeberrimæ urbi vicina, quæ in nomine Gazara priſci ſeruat reliquias. Clara eſt Sampſonis facinoribus portu Maioma, vicinis eremis ab Hilarione ad 6. millibus paſſuum inde cultis. Thabatha vicus 5.m.paſſ. diſtans, ortu illus nobilis. Inde ad 12. m. paſſuum eſt Berſeba, aut

Bersamme dicta Ptol. limes illius terræ ad Austrum : in qua collocanda , & Jacobus Zieglerus vir Mathematicarum eloquentissimus , mihi in sua Palæstina errasse videtur. Locat enim post Gazam versus ursas , quum revera versus meridiem tendat, quam in partem etsi collocavit Wolphangus Wuissemburgus, in sua distantia admodum aberravit, facit enim ut plus quam 50. m. passuum distet à vero suo loco. eam nunc Gyblin vocari contendunt. ibi hodie præter arcem Arabum nil superesse videtur inde ad 6. m. passuum est Askalon, quæ & nunc nomen servat, fortissima civitas , forma semicirculi portum ambiens. A quo loco secundum littus 12. m. p. abest Asdod , Azotus dicta , olim urbs, nunc vicus ruinis magnitudinem testans. Accaron sita in promontorio Iannetorum Ptol. olim vocabulo

cabulo urbem, nunc villam repræſentat. Quam ſtatim ſequitur poſt 15. paſſuum millia. Geth, quondam etiam urbs, nunc vicus Ybelim, diſtans in eandẽ plagam 12. m. paſ. à Ioppe antiquiſſima, quæ nunc Iaffa eſt, multis clara nominibus ſed nullo nobiliori, quam appulſu peregrinorum Occidentalium Ieroſolymam contendentium. Hodie autem funditus eſt everſa, licet ſit tam illuſtris ut ante generale Diluviũ à Japeto parente Gomeri Galliæ primi habitatoris, & qui generis humani reparator creditus eſt, ſit condita. Enos enim quæ & Enoch in Libano, & Joppe ſolæ ante Diluvium fuiſſe leguntur, illa in Beroſo, hæc in Plinio: illa à Caino primo, genito, hæc à Japeto primigenio ſecundo. Inde enim vix per 60. p. m. diſtant Solymi. à Geth in euro notum eſt Bethſemes, id eſt, Domus Solis, urbs in

bibliis clara non longe à Jamniis 6. aut 8. m. p. distant, à quo loco in ortum mons visitur clarus ortu, & sepulchro Machabæorum, Modin vocatus. Sequens à Jaffa sinus excipit Cæsaræam Palestinæ, dictam Stratonis, & Philippi, quæ olim erat Palæstinæ universæ metropolis, seu Archiepiscopatus. Non longe ab illa erat olim Dor, Dora Ptol. inquit Hieronymus, suo seculo diruta. Credidit falso Hieronymus Accaron antea dictam, quam turrim Stratonis, à quo & Cæsaræa in honorem Cæsaris, prius Apollonia Plinio, postremo Flavia Colonia à Vespasiano. Nobilissima est domibus, & fide Philippi & Centurionis, qui accersivit Petrum à Joppe. Ptolemæus tamen inter turrim Stratonis, & Joppem in medio sinu locat Apoloniam veluti diversam. Iuxta versus Jannæos, sic olim à Jano duplicata

plicata media littera nuncupatos, in vitis inventæ memoriam, qui 40. hominum m. in bellum educere poterant, ponit Strabo Gadaram, quam non eſt dubium vocari in ſacris Gæzara, quum Gazara, & Gaza maxime diſtent, & littera z. facile in d. migret. Antipatris ab Herode nomine patris dicta, quæ nunc Arſur verſus auſtrum paulo ad 12. millia paſſuum eſt. Iuxta quam ad ortum eadem fere ſpatio eſt Manathat, alias Cathoë ad montem Saron, vel Sarona, vel Ephrahim fortiſſimum Arabum caſtrum. A Jaffa in ortum ad 6. millia paſſuum eſt Dioſpolis, olim Lyda, Dorcadis ſuſcitatione celebris. inde verſus ortum ad duas horas itineris erat, Lobna, paulo verſus auſtrum erat Lachis, & duæ Bethoronim, Haialon, & Gabaon Acheda, & Maceda, olim urbes, nunc nomina. A quo loco ſecus

Helenæ monumentum aditur caput Palæstinæ Ierusalem. Sed redeo ad littus. E regione fere Cæsaræ est insula quædam, in qua hodie castrum est ædificatum Mahumeticis hominibus habitatum, olim peregrinorum dictum.

Dor, vel Doram olim alluebat fluvius Chorseus, alias torrens Cison vocatus. Cison oritur ex montibus Ephraim & campis Galilæensibus, & partim in lacum Tyberiadis, partim in mare nostrum fluit, Ad illius ripas iuxta montem Carmelum, qui nunc Carmene est, locus est celebris, in quo falsos Prophetas divina ultione occidit Elias, qui sui monumenta etiamnum in fine Occiduo ipsius montis servat Carmelitarum, unde in totum orbem ordo serpsit, urbes eremis præferens.

Vulgares peregrini non longe

ab

ab eo urbem quandam Caypha nomine adſcribunt, aut novam, aut priſcis ignotam, niſi quæ olim Aca, poſtea Ptolemaïs nunc priſco nomine Acon, & Aca mutaverit nomen in Caypha. Ita enim nautæ certiſſimi authores tradunt. Aca ipſa, utut vocetur, erat munitiſſima, duodecim millibus diſtans à Carmelo verſus Boream, quo ab ea ſpatio aberat Ecdippa, in eo loco ubi nunc eſt caſtrum Labarti, per demum in eandem partem ſpatio eſt Iſthmus Tyriorum, in loco quem Sandalium vocant, ubi arx eſt munitiſſima, & erat urbs cœlo, ſoloque fœliciſſima: vitibus, fructibus omnis generis, frumentoque abundans, ex qua coloniæ in totam Aphricam ttanſlatæ. Et revera eſt hac in re, Tyriorum, & angeli ſumma potentia Tyriis data notanda eſt, ut Iechezkel notat, eo quòd nulla toto in orbe
 valuit

valuit tantum remorari Alexandri tertii Monarchæ victorias quantum sola Tyrus. Sacræ litteræ, Hebraïca voce Tzor nominant, zade vero Hæbræorum solet frequenter in t. transire, Hodie vulgari vocabulo Suri vocant, non ita longe ab Acri promontorio. Habet iuxta se ad occidentem, arcem munitissimam totius Syriæ, quam tamen Mahumedici devicere. Ante 300. proxime actos annos erat Archiepiscopatus sub se habens Beryttensem, Acanensem, Sidoniensem, Paneensemque Ecclesias, nunc nomina illa & ambiuntur, & redimuntur ab Episcopis titulorum cupidis. Non longe eo distat puteus ille viventium aquarum, de quo ob pulchritudinem fit mentio in scripturis. Tzidon olim erat sequenti ordine, nunc vicus ruinis, & nomine insignis Said nomine. Licet autem semper ita obsti-

obſtitere iſti Judæis, in quorum hæreditatis parte omnino præſtantiſſima erant, ut non potuerint edomari, ſumma tamen ſacrorum miracula ibi ſuam Baſim habent. Sed nihil eſt magis notandum, quam viduæ illius mulieris Sarepthanæ una cum Elia Propheta converſatio, & divinitatis Chriſti in ea parte prior confeſſio. Illi regioni à tergo imminet mons Antilibanus dictus, vulgo Abelinas, Cœle Syriæ terminus. Illinc verſus mediterranea eſt Zacchari, ſeu mellis cannæ copia, vici nobiles caſtra munita, erat & Sarephtha Sidoniorum, nunc mutatam crediderim in eam, quam Saphet hodie vocant, quæque Judæis habitatur hominibus. Nam & loco proxima eſt Sydoniis verſus mediterraneas regiones, & nomine ſatis eſt adhuc affinis, ut ex Sarepṭha (quod vocabulum non ſine myſte-

mysterio alioqui Galliam sonat, ut in Habdia legitur) detracto R sit vocant Saffat. Sic enim vocant Judæi. Videtur ad occasum ipsius lacus Moron super montem. Inter illas duas, Leon fluvius excurrit. Ultra ipsas ad 9. horas itineris est Berythus servans hodie Baruthi nomen. Biblos Gibla dicta est, sequenti in littore distans sex horis à superiori, quam ad æquale fere spatium sequitur Botrys, nunc & diruta à Christianis, & Botrum & à Syriis, Elpatron vocata, inde à. 9. m. passuum est insula Roncino dicta, ubi Nepros urbs, & castrum fortissimum, inde ad leucas 3. erat Tripolis illa celeberrima, amplissimaque, nec minus opulenta, quæ ea semper est visa fœlicitate, antequam proximis bellis ruinas pateretur. Habebat hominum omnia genera, opumque, sed præcipue serico abundabat. Illam à

Septen-

Septentrione ambit Adonis fluvius pro magnitudine amœnissimus, qui Libano monte profluens, fons hortorum fluens de Libano, ob irrigandi delicias, dici creditur. Uno ostio ponit aquas ultra Berythum 6. m. passuum. creditur pars Septentrionalis esse Eleutherus fluvius. uterque enim Libano oritur. Sed posterior Arquæ vocabulum habet, Arados, & Antarados, celebres Orthosia, & Balana, quam Bagnias hodie dicunt, faciunt finem ab Aquilonibus, littori Phœnicum. Servant aliæ nomen. Celebris est Arados insignibus Pyramidibus. verum insula Arados à Tortosa, id est, Orthosia nomen servat. Sed nunc mihi Libanus patendus est versus Luciferum, si tamen prius de flumine Eleuthero in Cœle Syria orto, addidero esse apud Strabonem finem Phœniciæ, unde quum Velanam, vel Vele-

Velenam urbem alluat, dicaturque eo nomine, adducor magis ut credam ita nomen mutatum. Nam oritur ex Damaſcena regione. Ego interim nolo omittere vitrearias arenas (quamvis præter ſacrarum argumentum ſunt) quæ in littore Syriæ inter Acam, & Tyrum repertæ ſunt ex caſu, demum Sidoni fuſionem recipiunt. Plinius ait ad radices montis Carmeli ex palude Candebœa naſci flumen Belum, 5. paſſuum m. à mari, potui inſalubrem, limoſum, vadoſum, profundum, cæremoniis ſacrum, quod non niſi refuſo mari arenas fluctibus purgatas fateatur vitreas. Littus in quo ſunt, 5. m. Paſſuum tantum eſt. Nolo hic immorari in caſu ſuppoſiti à notis vitri, igne tum cum arenis liquefacti, unde rei vulgariſſimæ origo, quum noſtris, aut lapilli, aut arenæ, aut petræ ſalſæ, aut cineris ſilicis, aut herbæ

herbæ alcali, ſint in melioris vitri uſu. Verum quum hodie nulla inſalubris aqua illic reperiatur, niſi timerem mea coniectura offendere quoſdam, crederem ſane lubens illas aquas mitigatas, ab eo qui Hiericuntis fontem ſale, & precibus ex amaro ſalubrem reddidit, & iſtas ut ſequacibus utiles eſſent etiam mitigatas, inque uſum converſas humanum, eo argumento, quod fontes illi qui ſunt ad puteum aquarum viventium videantur non longe à Candebœa illa palude abeſſe, & præterea nulla in parte Syriæ, quam illic ſalubriores ſint. Libanus ergo Hebraïce dicitur aut ab albedine nivium ibi ſemper durantium, aut eo quod plantationis ſummarum arborum, Cedrorum videlicet, qui ſummis hominibus in ſacris comparantur, baſis eſt. Univerſæ autem animantium à Deo dependentium Naturæ

turæ Laban, ſive ſummæ, & excelſæ potentiæ albedo eſt origo, & maxime hominis tam in ortu, quam in nutrimento. Hinc ſacra priſcorũ miſteria, ubi mundi ſublimitas, & fœlicitas, aut à ſummo Cœlo, aut à meridie albedinem puriſſimæ, & formalis lucis probaſſe ſtatuit, ut ordo naturæ inde pendeat. A Septentrione autem corpus eſt, ſicut ab auſtro animus, Eam Moſis auditores Etymi de Labano, aut Lybana monte rationem adferunt, & certe mirum eſt, quum ſit (ſi ad ſummos montes conferatur) humilis, tamen aſſidue in regione calidiſſima totis triginta æſtatibus vix unquam nives ponit. Sic non niſi Chyli, & ſeminis albi conſtantia in hac corporea, & ſenſibili vita duramus. Non longius 12. paſſuum m. à mari incipiens, abit in ortum per 1500. ſtadia, id eſt, m. paſſ. 187. ad Palmyrenam

renam usque regionem, cui interiacente Cœlesyria, quæ nunc Boca, & Bocalbalbec dicitur, à Balbec, quæ olim erat Heliopolis, obtenditur Antilibanus, olim muro iunctus. Ex ipso oritur Antilibano, & Libano, inter medios montes currens à vicinia Balbechæ urbis Jordani fluvius, qui inde abiens cum aquis fontium Jor, & Dan, seu phialæ fontis in lacus Meron, Tyberiadis, Asphaltidis finem, ut dixi, facit. Humilis Syria nihil habet Damasco nobilius, tam loci amœnitate, Cœli, Solique fœlicitate celebris, quam immutatione Pauli nostræ persuasionis Principis. Regio illa montibus intercæpta Straboni lata 200. stadia, longa à mari ad Trachonitidem duplo qua ad Damascum pertinet, irrigatur flumine Chrysorrhoa, qui in irrigationes consumitur, Lyco flumine ab occasu, & Jordane,

unde apud ipſum eſſet in Cœle, aut totus Iordanis , aut illius pars,ut revera eſt. Pingunt enim non pauci, & apte, amplum rivum in illum à Damaſcena regione deſcendentem,ut & ab occaſu paulo ultra montem Antilibanum parvum Jordanem , qui revera maximus eſt. Ibi eſt Heliopolis, Cæſaræa, Abyla,Hierapolis, Chalcis. Cæſarææ plura nomina differentia fuere Lachis, aut Lais,Laiſedan,Dan,Cæſaræa Philippi Tetrarchæ illius regionis, Panæas, Neronia , quod nomen à Nebulone non obtinuit: hodie Bellenam dicunt , & ab Euangeliſtis Maggedan , & Dalmanuta. Ante illam concurrunt fontes duo Iordanis , & aquæ, quæ ab Syris Arabice Medam, id eſt aquæ Dan dicuntur , inde dimidio itinere verſus Ptolemaïda ſunt ruinæ Antiop urbis,quæ dicebatur Haſſor, quum à Ioſue
eſt

est eversa. Non paulo longius in Libonotum est arx Thuron munitissima. Verum antequā paulo longius discedo à Libano monte, nolo omittere urbem à tergo illius sitam, ad Septentriones Paradisus nomine quæ ob amænitatem hortorum, qui Hebraice Pardesim, Græce παράδεισοι dicuntur, nomen habet, à qua fere ad 60. millia passuum in eandem plagam est. Antiochia vicina Chalcidi, clarissima Episcopatu Petri, & Egnatij, & Orientalium ecclesiarum primatu ibi tanquam ad Petri successionem constituto etiam hodie, uti suis ruinis celebris, quam ab ortu Chalibo, nunc Halap respicit, itinere diurno distans. Sed redeo ad Iordadanis fluenta, quum in ortu illius celebrius Tracheis montibus, Galhad, Tzehir, Hermon, Hebarim, Moabi, quo sunt ordine dicti, nil sit. Ab occidua parte aqua-

rum Meron non longe ab Assor urbe locus est facinore Iahelis in Sisarem clarus, inde ad 6. passuum millia est Zebul castrum à Zabulonitarum tribu, quæ illic finem habebat dominij, dictum: etiamnum forte, & munitum, à quo si in notum tendas, occurret intra tres horas Sephet, locus pulcherrimus arce munitissima, postea deflectendo versus Borream, ad 12. millia passuum, se Cades Nepthalim offeret, olim populosa, nunc præter arces, suis ruinis clara, Quæ fuerit olim Sephet, supra indicavi. Iam sum proximus locis à Christo frequentissime frequentatis, inde enim, à Sephet scilicet, in loco declivi ortum versus est mons in maris, lacusve Tyberiadis littore occiduo nobilis. In eo enim quum in regione, in qua natus est, sit, docuit discipulos mundum contemnere, orare: prædicavit,

vit, quinque millia hominum pavit, paucis panibus, & piſcibus. Ibi ſpecimina divinitatis celeberrima edidit.

Diſtat tantum ſtadio à lacu mons miraculi panum, quumque ſit parvus, mirum tamen quod proſpiciat & totum lacum, & regionem Trachonitidem. Illinc non longe erat Capharnaũ fons, urbs regioque litteris ſacris cognita, nunc nomen, & ruinæ. Nollem hic omittere, quod fontem Caphernaũ credidere multi eſſe Nili ſcaturiginem. eo quod fons ille ſolus piſces Coracino ſimiles poſt Nilum cognoſcitur producere. Verum lacus Tyberiadis amplitudo eſt proſequenda. Genetzar lacus (quem mare Cinereth biblia dicunt) 40. ſtadia latitudine patens, 100. longitudine. præter lacuum morem claris aquis, frigidis, nunquam ab æſtu maceratis eſt, ob idque ſa-

lubribus, & potabilibus. Alluebat olim præclaras urbes multas, nunc fere tantum nomina, arcibus, & vicis paucis aſſignata. Habebat olim in ipſo ingreſſu fluminis Iuliada urbem, quam quidem volunt eſſe Bethſar, unde conſtat duas eſſe, ſi hic una ſit. Regio tota, ut vult Ioſephus, dicebatur Genetzara ea de re mirabilis, quod quum omni genere fructuum abundet, nullique cedat regioni fertilitate, vnam tamen & ficum totis decem menſibus ipſa ferat, quum alioqui eſſe biferas, & triferas arbores, præcipue ficum, & Muzam, in ipſa Syria ſit vulgare. Muzæ autem fructus uſque adeo mirabilis, & pulchritudine, & guſtu eſt, ut natura in cæteris vincere induſtriam ſategerit, in hoc uno fructu edendo ſeipſam ſuperare viſa ſit. Arbor eſt humilior palma, foliis tantum in cacumine productis; ſed tam amplis,

amplis, ut uno ſolo poſſis penulã homini, poſito in medium capite, facere. Fructus racematim inſtar palmarum veniens ad exilium, oblogorumque cucumerum fere magnitudinem, tanta eſt quum maturuit dulcedine, ut ſolus ille fructuum vini & appetentiam, & gratiam conciliet. Ipſi Capharnaum, aut Caphernaum erat proxima Betſaiedah ex qua Petrus, & Andreas orti, quæ utraque hodie etymi rationem ſervat piſcationis, aut venationis officinam. Nam ſunt ædiculæ piſcatorum. E regione erat Chorozain, cui maledicebat Chriſtus. Erant & Tarichææ, ſuo excidio claræ, ultra amnem, regio Huſcitæa eſt in Trachonitide, in qua Tzueta, quam Pyramis Iobi honeſtat, Themam, Gaulon, Seleucia, eæque paulo verſus Aquilones. In noſtro littore eſt Magdalum vicinum 6. m. p. à Be-

thania, nobile ſua Magdalena, & affinibus. Tribus paſſuum m. verſus occaſum, erat Nephtalim civitas, nunc Siziz Arabes vocant, non longius tribus horis pediti diſtans à Betuliæ monte, ubi etiam hodie Dutni, vel Dotaim caſtrum errore Ioſephi priſci clarum viſitur. Nunc quum ſit proxima noſtra deſcriptio Nazareth, antequam de ſalvatoris incunabulis dico, percurro Orientalem plagam fluminis ſcilicet Moabitarum, aut duas tribus Quedar, Gedarah, Ghemala, Aſtaroh, Rhamah Ghilead ſunt è regione ſtagni ad ortum. Pella præterea, & Amathus, atque ab illa aquilonia, Geras Ephron, Machanain verſus torrentem Ieboc. Debir quæ & Cariath Sepher, id eſt, academia, vocata eſt. Cheſbon, Aroër in homonymo torrente, Lybias, Macherus, Callirrhoë, Serim, Norim petra deſerti.

ſerti, Jaſmoth, Boſor, veniunt, in fines Aſphaltidis lacus. Nunc paſſim cætera mediterranea. Nil Galilæa habet magis celebre loco conceptionis ſalvatoris noſtri IESV CHRISTI vico Nazareth ſcilicet, in qua nata eſt ſancta MARIA inſtauratæ naturæ Principium. Vicus eſt humilis, in quo mundi author, arbiterque voluit ſuæ temporaneæ originis ducere incunabula. In Galilæa gentium ad viam maris eſt ſita, ut prædixerat vates, populis, qui in tenebris ambulabant, Galilæis ſcilicet, & Samaritanis, qui iam à lege Dei deſciverant, temporibus Rhehabani, quique in monte Gazirim religionis placita ſeruabant. Vicus ille ad radices montis Thabor .6. m. p. plus minus ſitus eſt. Qui mons clariſſ. eſſe poteſt divinitatis argumento, quod in ſe Chriſtus oſtendit. Inde ad Sephoram urbem ſunt tres

 leucæ,

leucæ, ex ea putatur ortus, aut oriundus Iosephus politicus Pater Christi. Montes Hermonij, Endor, planicies Galilææ, vel Esdrelon, torrens Cison, ad pedes Itaborij profluens, ambiunt prædictum vicum, civitas Naim est in ramento Hermonij maioris ad occasum sita, respiciens Nazareth ab austro. Si inde versus Euronotum eas, erit campus Sabæus, vel planicies Samaritana obvia, in cuius parte Septentrionali est Suna, vel Tzion, occidua autem Alphecenses ruinæ visuntur, in ortu versus mare Bethsan, iuxta montes Ghelboë, qui contigui sunt Samaritanis. Differunt quidem montes Ghelboë, & Hermon secundum latitudinem tantum, sed prior australis est iuxta Bethsan ad occ. vicus est Zerecin, qui creditur olim fuisse Iesrael, in monte Ghelboë. Non hinc longe distat Salim, ubi Iohannes

hannes Baptiſta fungebatur officio intinctionis, & adhortationis ad pœnitentiam. Ennon illi eſt vicina borealis. Quamvis ruinæ Sebaſtopoleos, quæ olim erat Samaria, veluti ſecunda Ieruſalem tantum relinquant priſcæ nobilitatis argumentum, tamen ideo mihi referendæ videntur, quod rerum humanarum conditionem maxime repræſentent, ut quæ maxima ſint, nuſquam ſint. Ex reliquiis illius loci ſupereſt Eccleſia Ioanni Baptiſtæ dedicata, quum locus ſit alioqui amœniſſimus, & adhuc columnis Herodiani Palatij viſendus, & ex arcis loco clariorem Phœnicis partem proſpectans. Inde ad ſex millia paſſuum verſus ortum erat Thirſah prima Samariæ regia ante Somron, Samariamve. Sichemij, & Bethelij intra 8. millia paſſ. ſunt, loca vicina montibus, ubi ptimum falſæ religionis primitias

mitias publice locandas curavit Ieroboam. Sichem vero Neapolis, aut Napolotza dicitur à Samaritanis Iudæis, ſolo Moſis Pentateucho in ſua lingua Adamina utentibus, & à cæterorum Iudæorum commercio abhorrentibus habitatur. Intra iactum arcus erant Thebæ Syriæ, in quibus ne caſa quidem manſit, mons Ggebal, & Garizim clari ſacris Samaritanis. Præterea duo fontes, unus ex quo à Samaritana, vitæ cuſtos aquas poſtulavit, alter ex quo torrens Cherith, iuxta quod non longe corvi paverunt Heliam.

Inde brevi verſus ortum itinere, eſt Ierichus palmetis, aquiſque medicatis, ac ſuis clara ruinis, habens è regione Galgala, ubi fuit prima Iudæorum caſtrametatio. Inde Eſſenorum gens commendatæ caſtitatis erat in occidua Aſphaltidis parte, infra quos erat

En-

Engheddi, & Maceda castrum. Redeunti inde ad sinistram relinquitur Herodium, quæ olim Thacuah erat, veniendoque in Haï reperitur mons ille, in quo Christus insultus Sathanæ verbo, ieiunioque fregit, perque Bethaniam Elia Capitolia, seu Hierosolyma aditur, hæc vero nulla non parte sui celeberrima à meridie habet, post Bosrath Bethlehem terram Iudah non minimam inter Principes eius, ex qua exiit dux qui suum hodie Israel in æternum recturus regit IESVS Christus.

De utraque puto melius silere, quam pauca scribere, quum ipse Plinius nulli addictus persuasioni illam clarissimam urbium Orientis dixerit, istam longe ante vates sacri celebraverint. Ultra magis ad austrum erat vallis Mamre illustris sepulchro Adami, & primo loco sacro, aut religioso mun-

mundi, unde tam ſedulo Abraham voluit illius loci ſpeluncam à Cananæo Chettæo redimi, ut ibi proprietatis Chriſti qui ſummus erat ſui generis apex, Baſis in Ieruſalem profectura poneretur. Cæterum locus ille ſepulturæ ſacerrimus eſt Iſmaëlitis, qui illic poſito ad Abrahami imitationem Xenodochio volunt eſſe Mecheh cochiuc, hoc eſt paruam Meccah quam loco alterius adeunt. Chebron, Ramah meridiana, mons Chermel interior Cades Barnæ, finis terræ ſanctæ ſecundum montes Arabum vel Ædumæorum, in quibus eſt Tzeghir. Partem Lybonoti, atque occiduam Solymorum obtegunt, proxime quidem Cariathieharim, ſaltuum civitas, verſus Eglon Betſur, Gerare, Siceleg, & Beſammem. Lacis eſt verſus Gheth, paulo verſus Gheth, paulo verſus Solem deciduum, & Sab-

& Sabbathi itinere Emmaus, nunc Nicopol , quæ verſus auſtrum habet torrentem Sorred baptiſmo Eunuchi clarum, hinc venis per Bethſemes ad Accaronitas, & Iabneos, quos Ethnico vocabulo Ianneos , & Iannetas dici indicavimus. Rhama, ſeu Rhamata medio eſt itinere inter Iopenſes, & Solymos, quæ in bello contra Gazelum fuit diruta. Rhama tertia eſt Bethelis vicina, ſic autem dictæ ſunt Syriacæ, quod ſint in editis locis ſitæ. Bethel vero ipſa reſpicit ab Ælia Septentriones, demum per Gabaah, & Ghæbaon, & Haialon adit urbem. Eſſem prolixior in transſcribendis à Sacra Scriptura nominibus urbium , ſi aliud quam nomina eſſent : verum quum rerum bona pars à Recutitis primo , ſecundo à Medis, Perſis, Aſſyriis, Ægyptiis, Macedonibus , Romanis , Tartaris, Tur-

Turcis, Mauris Christianis, & in summa ab omni fere orbe sit eversa, locaque nuda reliquerit, videbor fecisse satis, si hoc Enchiridio, antiquorum nostræ persuasionis authorum peregrinationes elucidavero. Primum itaque Christi authoris, secundo Pauli, & Petri amplificatorum maximorum nostræ religionis adscribam, ut clare liqueat, quantum pro fragilitate nostra ærumnarum sustinuerint, ita tamen ut si qua in re præcedenti fuit paulo brevior, suo loco singula aperiam.

Peregrinatio Christi secundum Matthæum.

NATVS est IESVS in Bethlehem, unde timore Herodis Tyranni secessit in partes Ægypti mater, suasu Angeli, inque eum locum ivit, ut credunt, ubi est hortus balsamo nobilis, donec

Herodes à Magis illusus occideret bimos in Bethlehem, & Rhama meridiana, à qua pridem audiverat Rachelis planctum, & ululatum vates divinus, inde post furorem rediit in Nazareth in vicum matris in Galilæa, à qua secessit versus Iordanem Baptismi causa, unde fuisse in Salim ad Ioannem una cum Essenis, vero est simile. Spiritus demum illum in desertum, templi pinnaculum, montem valli, & urbi Ierichontinæ imminentem, quem Carentanæ dicunt, duxit: unde rediens, item Nazareth illam (quum nemo sit Propheta in patria) reliquit, ut secederet in Galilæam ad Capharnaum, ambularetque iuxta mare Tyberiadis scilicet, unde pererrata tota Galilæa, conscendit montem illum de quo dixi iuxta lacum Genetzaret, à quo secundo dum lepra infectum curasset, est vocatus in

Caphernaum à Centurione, qui fide operam Christi præveniens, Paralyticum filium sanatum vidit inde adiens Petri domum, Bethsaïdam, socrum illius febri liberavit. Voluit vero & ultra lacum transfretare, ut ventis contrariis, & mari æstuoso imperans, suę divinitatis argumentum ederet, traiecto itaque lacu, venit in Genetzar, quam alij Gerasen vocant, ubi immundos spiritus ad legionis usque numerum corpus humanum habitantes, & ab humano in porcinum migrare volentes, eiecit. Traiectione inde repetita redit domum, sed interim Principis filiam suscitando, cæcos duos lumine donando, & ipsius ædibus Paralytico demisso curato, opera naturæ instaurabat. Templum inde proximum Sabbatho adiens Capharnaum, ut Ioannis 6. aridam hominis manum instaurat: unde secedens ob Phari-

Pharisæos infenſos, mutum, cæcum, dæmonioque correptum ſanum facit, repetitaque item domo, quam Caphernaci ſuam dicebat pergit ad lacum, ubi vim obſcure ſcriptorum Diſcipulis aperit, inque deſertum vadens, paſcit ample turbam 5000. hominum duobus piſcibus, & panibus quinque, quibus peractis turbæ iam importunæ fugitantior, petit Genetzar, ultra lacum, à quo loco per mediam Galilæam petit Tyron, & Sydona maritimas gentis Phœniciæ urbes, ut illis eſſet melius, quam Chorozaim, & Betzaiedæ. Ibique curavit filiam Chananææ, quæ à Dæmone agitabatur. ut Chananææ gentis, toto in orbe ad Gallias uſque diffuſæ, myſteria ſecundaria præfaretur. Inde vero item repedando repetit ſtagnum, & montem ſolitum. Mare enim Galilææ, cum lacu Genet-

zar idem est, ibiq; item extemplo ſanatis omnibus, & miraculoſe aucta, quam quotidie nobis multiplicat, natura, pavit ſeptem panibus, & paucis piſcibus. 4000. hominum, indeque ſolvens, venit Maggedam, verſus Ierichonta, petivere Phariſæi ſignum, unde illorum invidia recedens traiecto lacu venit Cæſaræam, à qua montem Thabor adiens, divinitatis exemplum tribus ex ſuis monſtravit.

Agens vero aliquot dies in Galilæa, ſuperato Jordane, venit è regione Judaïcæ tribus, unde petit Æliam, à qua (non acceptus ſacrificulis) petit partes Jerichontæi buſti, ubi cæcos duos, qui alibi uno ſolo nomine expreſſi ſunt, luce donat. Rediens inde in Salem tranſit per vicum Betphage, & ortum olivarum, quæ loca ſita ſunt ad ortum Solymæ, intrans demum Hieroſolymam, vir abiectus,

iectus, & fimbriatis exoſus, audet (ut ſub quo quum libet tremunt univerſa) purgare patris templum negociatoribus. Petit item Bethaniam, à qua rurſus Hieruſalem, & templum, unde tertio Bethaniam redit, inque olivarum montem, & villam Gehſemani, inde per torrentem Kidron, & per urbis colluviem, quæ ortu Jordanem petit, trahitur in ius, in urbem ad quam ſervandam venerat, ſupplicio demum afficitur in monte Calvariæ, olim extra urbē verſus Caurum. ad quam plagam, ſummi beneficij indicio, & ſigno, INCLINATO CAPITE EMISIT SPIRITVM, ad occaſum ea de re crucifixus. In inſtaurata vero urbe fuit mons ille cinctus muris, ibique nunc eſt templum Sepulchri, & Crucis.

Poſt reſurrectionem vero viſit ſuos in Galilæam, ut prædixe-

rat. Hactenus Matthæus, verum quia Ioannes proſequitur multis, quæ alij omiſere, ante peregrinationem ſecundum Lucam, non tradam quæ addidit.

Vt Lucas ſcripſit, Chriſti Pegrinatio.

NATA MARIA, & deſponſata in Nazareth, viſitavit cognatam Elizabeth in terra Juda (loco Bethlehemæ proximo) ſexto à conceptione menſe, repetita inde domo, profeſſuri nomina ſub Cyrino adierunt Bethlehem, ubi ſuæ familiæ Davidicæ ſubſciberentur Ioſeph, & Maria, illicque occurrente magna admodum turba, Maria paupercula diverſorio occupato, coacta eſt in publico ſtabulo, foris tum & media in lapicidinæ fovea, ut nunc locus viſitur, & ut à Jacobo fratre domini in Euangelij capite à nobis ex Græcis verſo ſcriptum

est, coacta est inquam partum mundi arbitrum edere, quo in loco commorata, ad tempus purgationis curavit deferri in templum, ut sub lege, à lege soluturus, ob circuncisionẽ esset 8. die. Quadragesimo autem die Maria demum ipsa Hierosolymã abiit, purgationis gratia, Symeonisque ultimi Iudaïcæ solius gentis summi sacerdotis, & vatis in ulnas exposuit primogenituræ ius solvens domino. Unde Nazareth suam patriam petiverunt, quotannis tamen templum maius semel voti gratia visendo, donec anno duodecimo insciis parentibus, incepit iuvenis IESVS sui specimen inter legis arbitros edere, & quomodo litteras Grammaticas qui non didicerat, sciret, ostendere. ubi tandiu mansit, ut parentes domo exire ad se quærendum, coëgerit: inde rediens cum matre in Galilæam, diutius

in illis locis converſatus, baptizatur à Ioanne, iuxta Salim in Ennon ad fluenta Iordanis: unde actus à ſpiriru in montem deſertum, templi pinnaculum transfertur, ieiunatque in monte quadraginta dies, more Moſis, & Eliæ. Indeque per Ieruſalem tranſiens, redit in Nazareth, à qua pro beneficiis nebulones ſacrilege eum eiecerunt, in montem trahendo, ut præcipitarent Prophetam in patria non probatum, unde effugiens Caphernaum petiit, ubi in templo docens fuit, antequam Simonis in Bethſaïda domum adiret, in qua ſocrum à febre vindicaret, unde conſcenſo navigio petiit Genetzar, indeque in deſertum paralyticum curaturus ſe contulit, à quo diſcedens loco, per ſata tranſiens media in Galilæa, venit in ſolitum montem oraturus, quod ubi peregit, diſcipuloſ-

pulosque, instruxit, repetit Caphernaum curaturus Centurionis filium, indeque in civitatem Naim monti Thaborio oppositam, ubi viduæ filius est vitæ restitutus, abacturusque dæmonium ab homine, Genetzar repetit, & intrat in domum Iaïri Principis Synagogæ filiam curaturus. Inde uero discessit in desertum Bethsaiedæ ad Boræam partem stagni, petiitque Thabor montem divinæ naturæ signa præcipuis Discipulis ostensurus, unde digrediens, languoresque curans innumeros, repetit Hierosolymam, indeque adit quoddam castrum (quod Bethaniæ, aut Magdali, ob parentem Lazari amicitiam suspicor) transit hinc per varia loca veniens in Salë, ibique in domo Principis Pharisæorum Sabbatho curans Hydropicum, beneficio iram ingratorum Pharisæorum suscitavit. Inde ergo

digressus, venit in Samariam, ingressusque castellum, 10. lepra infectos purgavit, hinc repetit Ierusalem, & usque Hierichontis busta ivit, unde Hierosolymam repetens, à plebe, & pueris honores divinos habuit, adiensque inde, post longam exhortationem in templo, & cœnam cum discipulis sumptam, hortum à se frequentari solitum, proditore Juda domestico traditur, & affligitur: atque post resurrectionem apparet Discipulis, euntibus in Emmaus, qui postea Nicopolis fuit dicta, indeque bis videtur à toto cœtu Discipulorum, editque, ne spectrum crederent: confirmatisque illis, & promisso Paracleto in Bethaniam concedens, præsente cœtu credentiũ, Cœlum petivit.

Ioannes addit visum fuisse secundo, id est, post Hierosolymitanam apparationem, ad mare Galilæum, seu Tyberiadis, ipsique

que Petro priſtino vitæ inſtituto conſilium melioris piſcationis dediſſe, ubi item comedit cum Diſcipulis. Diverſi vero nil habet Ioannes, niſi quod loco illo in quo dicunt verſatũ fuiſſe IESVM in Galilæa, in Cana Galilææ (qui locus non longe à Nazaret verſus Septentriones ſervat ſui veſtigia) fuiſſe bis exponit, & ubi aiunt cæteri Samariam inviſiſſe, dicit fuiſſe in urbem Sichar, ubi petivit à muliere aquam, aquæ vivæ largitor, qua miſeram noſtram ſitim ſedare ſua miſericordia dignetur. Ex Apoſtolorum Actibus patet, poſtremo fuiſſe in monte Olivarum, unde aſcendit in Cœlum, Apoſtoli autem ab Angelo Galilæorum nomine non ſine cauſa vocati, inde redierunt Hieroſolymam, ubi 120. fere conſtituerunt Eccleſiam primam. Nunc Apoſtoli quomodo Provinciam executi ſint, duoque

que præcipue Colophones Petrus, & Paulus videndum.

Peregrinatio Petri.

Pauca admodum de Petro Sacra Scriptura tradit, unde ab Actibus, & Epiſtolis Paulinis, atque Eccleſiaſticæ hiſtoriæ contextu mihi ſcribenda peregrinatio eius videtur. Natus eſt Berſaiedæ vico ſito ad littus maris Galilæi, exercuitque cum fratre Andrea piſcationem, donec à Christo in piſcationem hominum mundi illecebris immerſorum deligerentur. Cæterum poſtquam Ioannis fuiſſent Diſcipuli ipſe & Andreas eius frater, fuit ſemper aſſiduus Chriſto comes quoad vixit. poſt mortem ergo Iesv ſubſedit parum Hieroſolymis, ut ſepulchrum inviſeret, clauſuſque cum cæteris confirmaretur à Chriſto ſuſcitato, unde natale repetens ſolum, cum fratre,

fratre, habuit item obvium dominum antequam ex monte in Cœlum tenderet. Neglecta ergo arte paterna, totus absente Domini persona, in opus fertur, Hierosolymisque inculcat verbum, post demissum à Patre paracletum, insistitque donec afflictus sit Stephanus, indeque cathenas effugiens, petit Samariam, Provinciæque Samaritanæ bonam partem docendo pererrat. Inde item in Palestinæas urbes seminans petit Lyddam, & Ioppem, quibus in locis, suscitata Dorcade, & epularum discrimine sublato, à Centurione vocatur in Cæsaræam, unde ipsis intinctis repetit Ierusalem, ubi ab Herode coniectus in carcerem, liberatusque ab Angelo, venit in domum Bethaniæ (ut vero simile est) visere Mariam matrem Ioannis Marci. illic enim prisca erat Ecclesia à Christo instituta,
inde

inde vero peragrata item Samaria repetivit Hierosolymam, quum de consilio circuncisionis ageretur, quo in conventu (ubi illum præfuisse Lucas testatur) nil amplius addit cæteris. Ex ratione vero mansionis, quam in sua Canonica, id est, de Ponticis, Bythynis, Galatis, Cappadocibus, Asiaticisque facit Eusebius, Hieronymus, & plerique, alii coniectantur illos vidisse, ad quos scribat, quod revera coniectari est. Fuisse autem Romæ, & ibi sacrosanctum Christi vicariatum instituisse (licet ut & Paulum, sæpius æquum fuerit à Roma repetere terram sanctam confirmandorum fratrum gratia) ita per totius Ecclesiasticæ Historiæ sententiam constat, ut si quis illud neget, perinde faciat, ut si quis neget ipsum Christum fuisse Ierosolymis. Ex Clementis autem Alexandrini scriptis constat, dum

Ro-

Romam veniret ex Iudæa Corintho iter fecisse, & Ecclesiam in unionem Catholicam, quamvis ibi Paulus antea prædicasset conduxisse, unde humana tam latè passus est Paulus ergo illum. Nam quisquis Latinæ, aut Romanæ Ecclesiæ successum, & unisalem authoritatem inter conciliorum tempore detractare contendit, & satagit, orbis consensum, una & conciliorum omniũ authoritatem elevat, & sacra in dubium revocat, atq; adeo Christum sensim è medio tollit. Fuisse vero Antiochiæ præter consensum Ecclesiæ, & Paulus ad Galatas scribens, testatur: quo vero tempore, aut Anthiochiam, aut Romam adierit, non ita per Sacra constat. Si quis scire desideret, legat Roffensem in refutationibus Hulrici Veleni, qui Petrum non fuisse Romæ suadere conatus est. Dionysius

Areo-

Areopagites dicit eadem die à Nerone Petrum, & Paulum martyrij palma donatos. Tantum de Petro.

Pauli peregrinatio.

Pavlvs natus oppido Gischalis, quod in Iudæa esse Hieronymus dicit, in Galilæa vero ostendit prope Tyberiada, & Sephorim Iosephus: subacto à Romanis oppido ipse cum parentibus deductus Tharsum, civitatis Romæ iure est donatus, unde Hierosolymam studij gratia remissus, profecit vehementer sub præceptore Gamaliele, ut tenuiori adhuc ætate, illi daretur Provincia de legis arbitrio perquirendi. quod munus inquisitorium fidei dicimus, quod opus ut in Christianos exercere incipit, Damascum adiens, ex Saulo Paulus fit, Baptisatus ab Anania, ut ipse de se scribit in epistola ad Gala-

Galatas, abiit in Arabiam Provinciam Damaſco confinem, deinde reviſit Damaſcum, triennioq; exacto viſit Petrum Hieroſolymis, à quo in parteis iens Ciliciæ, & Pamphiliæ poſt annos quatuordecim viſit item Hieroſolymos, ubi redarguit Iudaïzanteis, ac ſtatim Antiochiæ ipſi Petro, quia reprehenſibilis erat in faciem reſtitit. Sed paucis de ſe iſta tradidit, quæ Lucas peregrinationis eius comes tradit. Profectum à Damaſco Hieroſolymam, ſi ſtatim, an tardius, non liquet. Inde Cæſaræam Philippi contendens, Tarſum petivit, indeque comite Barnaba repetit Antiochiam Syriæ, ubi donatus Apoſtoli nomine Seleuciam eodem comite adit, unde in Cyprum brevi traiectu ivit, Salaminamque urbem in inſulæ ortu ſitam primo, ſecundo Paphum, quæ in occiduo latere iacet á qua

ſolvens, petit Pergam Pamphiliæ, Antiochiam Piſidiæ, Iconium quæ ſola in nomine Gognia ſupereſſe videtur. Lyſtram, Derbem, quæ Lycanoniæ adſcribuntur. Verum quum in Lyſtra lapidibus recutiti impetiviſſent, viſa Derba rediit eadem via qua iverat, ad Pergam uſque, à qua ſecundum littus Ataliam, quæ nunc eſt Sattalia, petivit: tandem Antiochiam, & Syriam reviſurus, totamque Phœniciam, & Palæſtinam, ut fratribus ſuam probaret diligentiam: repetit ergo Solymos tertio, propter conſilium de circunſione, quo peracto Antiochia, perque Syriam, Ciliciamque (ſine navigio ut credibile eſt) tranſiens, Derbem reviſit, Lyſtramque, ubi ob multitudinem recutitorum coactus fuit circuncidere Timotheum: Provinciaſque Aſiæ minoris Galaſiam, Myſiam, Phrygiam, A-

ſiam

ſiam minorem (in qua vetuit Spiritus prædicari) atque Troadem inſtitutis formans divinis, traiecto mari Ægæo venit in inſulam Samothracem Lemno, & Imbro vicinam, unde Neapolim Philippos, Amphipolim, Apoloniam, Theſſalonicam, Berrhœam, Athenas, Corinthum per Cenchreas in Iſthmo ſitas, adiit. quibus in locis poſtquam Chriſtum plantaſſet, tranſmiſſo mari Ægęo, iterum repetit Aſiam minorē Epheſo appellens, votique gratia attonſus, relictis Priſcilla, & Aquila Epheſi, navigio contendit Cæſaræam: ex qua votum ſoluturus Solymæum templum viſitat. Voto peracto Antiochia Piſidiæ viſitur. unde Epheſum regreſſus ſolvit in Macedoniam, in qua Philippopolim ſecundo ſalutans, ſuperato Heleſponto Troadem repetit, ubi Eutychum reſtituit vitam. Circumienſque

regionem , Assum Troadis urbem videndo, transit in Mitylenem insulam, à qua navigio Borea secundo Chion, Samum, insulas Ægæi maris præcipuas, Myletum urbem in continenti sitam, attingens Coum venit insulam Hippocrate alumno claram, inde Rhodum insulam. Pataram urbem secundo Zephiro appellunt, à qua per cætera littora, & urbes Tyrus additur, deinde Acca, quæ & Ptolemaïs, postea Cæsaræa Sratonis, ac postremo Hierusalem, 4. petitur, ubi vinctus ob seditionem à recutitis devotis excitatam mittitur Cæsaræam, in qua, ut calumnias suæ gentis effugeret, Cæsarem appellavit, ad quem præsidis Felicis iussu cum delecta hominum manu hoc modo ductus est. A Cæsaræa Sydonem venit, hinc Myram Lyciæ, deinde secundum Rhodum ad Cnidum promontorium,

rium, unde legendo auſtralia littora Cretæ immanitate adverſi venti, à Cauris ſunt pene fama enecati, donec fracta rate omnes in Melitam natu evaſerint incolumes. Illic abacta à corpore vipera eſt à Paulo. Syracuſas, Rhegiumque per Scyllam, & Charybdim, prætergreſſi Neapolim, Puteoloſque venit Romam, ubi verbum Dei ſumma cum conſtantia aſſeruit, donec illum Nero de medio cum Petro tolleret. Scripſerat iampridem ipſis Romanis è Corintho per Phœbem miniſtram Eccleſiæ Cenchreenſis. Ipſis vero Corinthis primam ſcripſit Philippopoli per Stephanam, Fortunatum, & Achaïcum, & Thimotheum. Secundam autem eodem loco ſcripſerat per Lucam, & Titum. Quum vero iam eſſet Romæ Galatis ſequentibus, quam ex ordine ſcripſit. utraque vero Theſſalonicenſium

ab Attica profecta est Timotheo ex Laodicæa Phrygiæ prima: secunda Roma, cum secundo illi esset apud Neronem agendum de capite, Philemoni item Roma per Onesimum, & Nicopoli Macedoniæ ad Titum, Hebræis item ex Italia, quæ omnia notata volui, ut hominis in re Christi promovenda diligentia videretur. Si quis videre cupit cæterorum Apostolorum peregrinationes, is poterit apud Philaletem, virum bene doctum, & quod nomen fert videre. Is autem Philactis nomine in sua prima ἐκ τυπώσει vocatus est, à pio quodam viro, & Catholico, qui ne offenderet eos qui satagunt haberi reformatores, dissimulato nomine sic voluit vocari Habdiam Babyloniæ Chaldaïcæ Episcopum, qui unus ex septuaginta duo Christi Discipulis, diligenter duodecim Apostolorum vitas

tas ut in medio in martyrio licuit ſcripſit : ut autem fructus Corographiæ maior habeatur, breviſſime cæterorum Apoſtolorum maxime autem Euangeliſtarum Peregrinationes exponentur.

DE GALLIA
Sive
GOMERIA.



UIS QVIS revera Galliam pro ſua priſca magnitudine vellet ſcribere, proculdubio univerſum orbem terrarum ſcriberet. Si enim perpendimus Ius illius gentis, quæ à primogenito mundi huius dependet, iure univerſitas ab eo nomen acceperit. Unde factum eſt, ut quum nil populi dari poſſit ipſis Gombris

 (quos

(quos umbros ideo dicunt, quod Diluvij pluviis superstites essent antiquissimique totius orbis) tamen â Gallis ortum habent, teste Solino. Itaque nullum nomen prius est Gallico. Sed divini beneficij gratia, ut assidua illius memoria haberetur, factum est, ut penes solos Gomeri alumnos, hoc nominis servaretur, Unde Berosus scriptum reliquit, qui erant ex posteritate Galli, illos Avito nomine Janus pater Gallos vocari voluit. Quum itaque universum genus humanum sit Diluvio ereptum, & inde Galli nomine vocandum voluit Naturæ conservatæ mediator Janus, ut nomen illud nobilissimum mundi in solius primogenituræ domo posteris, & principatu servaretur. Sed quum in præfatione cur de Phœnicum litteris scripserim; sint expositæ multæ causæ, quare Gallia sit in primo

loco

loco post terram sanctam celebranda, remisso ad illas lectore erit ex ordine ut ipsius Corographiam attingam.

Quum Celtarum, Cimbriorumve nomine omnes Europæi populi sint olim nominati in tota Græcorum antiquitate, non est dubium, quin Galliæ nomine Hispania, Gallia, Italia, Britannia, & Germania saltem debeat intelligi. Cimbros, & Cimmerios populos vocatos fuisse à Gomero Gallorum parente, est etiam apud Galliæ adversarios certissimum. Sed quum ita sit iam à septingentis annis à Providentia ita conservatum Galliæ regnum, ut ab Imperij Romani Gallis etiam ablatis viribus, non potuerit debilitari, aut frangi illud quicquid Cæsar olim in Galliæ primariæ limitibus posuit, satis fuerit ibi fines posuisse Provinciæ divinitus, ad conservandam Di-

luvij memoriam ordinatæ ubi olim sunt positi.

Galliæ itaque ab ortu Alpibus, & Rheno flumine, ab austro Mediterraneo mari, & Pyrenæi montis parte, ab Aquilone mari Oceano Britannogallo, ab occasu Oceano Athlantico, & obliquis montibus Pyrenæis terminatur. Provincias autem ab ortu habet Provinciam, Savoiam, Helvetiam, aut Suiciam, Bressiam, Borgoniam, Lorraniam, Campaniam, Haynavum, Cliviam, Flandriam, ab Aquilone Picardiam. Norminiam, Britanniam, ab occasu rursus Britanniam, Andes, seu Angiersam, Poïctaviam, Sanctongiam, Aquienam, seu Vasconiam, à meridie rursus Vasconiam, ad monteis Pyrenæos, Bierniam, Russilonem, Delfinatum in medio ad meridiem est Velaiorum, Forestanorum, Alvernorum, Lemovicorum,

corum, Perigordorum, & Angolesmensium ditio. Post Poictavos rursus sunt Burgesij, Borbonesij, Beaviolij, Lugdunenses, & & rursus sub Burgundis Franccomitatus, Auxerrij, Nivernenses, Berrij, Tursij, & super Angiersos Vendosmij, Beaussij, Gastinenses, & post Senonas Galli, Valoisiive, & iuxta illos Perchij, Driusij, & ad Brittannos Mansij. Sicuti singuli scriptores usi sunt nominibus suo seculo usitatis, ita volui nostro seculo communibus uti. Positis itaque his nominibus, ut sint considerationis nostræ Basis, est ab ipsis originibus videndum undenam prisca nomina sint imposita. Licet itaque Franciæ nomine nunc vocatur Gallia, quod nomen est à Principibus ex Francis primo in Galliam receptis impositum, tamen etiam quingentis annis obtinuit post acceptos Francos Princi-

pes,

pes, ut adhuc Galli vocarentur. Nam temporibus Caroli Magni ſcribit Deſyderius Rex Longobardorem, in Privilegio, aut Chronologia potius inſcripta in marmore Viterbij, ſe non eſſe deſtructorem Italiæ, ſicut apud Gallos illum, ut ait, calumniabatur Hadrianus Papa ille qui Carolo Magno in eligendi, confirmandique Pontificis ſummi, & ſedem ubivis ſtatuendi conceſſit. Licet itaque Principes Franci fuerint pridem in Galliam accepti, & ea conditione recepti, ut legem à populo acciperent ſui ſanguinis in fœminis exhæredatricem, populus autem nomen Francorum pro Gallo reciperet, tamen priſcum illud nomen nunquam potuit aboleri, eo quod divini miraculi memoriam in ſe retinet. Et certe eſt illud omnino concedendum, ſemper partes illius qui dat legem accipienti incommo-

commodam fortiores esse, quam qui dat Nomen. Quum autem lex Gallica, aut Salica (si qui velint de nomine contendere) sit summopere ipsis regibus damnosa, ut quæ sanguinis eorum dimidium destruit, quod ad ius coronæ attinet, non est dubium, quin imposita sit olim regibus à populo, iam sic à legis divinæ peritissimo Propheta Noacho instructo per Iapetum, & Gomerum eius primogenitos. Itaque videtur revera quam fuerit semper, divina providentia conservatrix nostri nominis. Quamvis enim multi scribant Francum, aut Francionem Hectoris filium super Celtas regnasse, tamen tantum abest, ut quicquam mutationis attulerit, ut Cæsar nusquam vocabuli Francorum meminerit. Tota itaque Europa tunc nomine Celtarum dicebatur ad Græciam usque. Unde

Fran-

Francus in Austriam irrumpens dictus est Celtis imperasse. In caussa nominis mutati fuere Romani. Quum enim Valentiani Cæsaris tempore, Galli ob singularem virtutem, qua Alanorum gentem fregerant, anno à Christo nato 367. fuissent decennio immunitate donati, atque post decennium gravi exercitui premerentur ut solverent, tunc in partes Galliæ Belgicæ ad viginti quatuor millia hominum Gallorum concessere, ubi iam fere Franci per sexcentos annos belligerebantur assidue cum Francis Belgæ. Quum itaque attrivissent omnino Romanorum exercitum Theodosij temporibus una coniuncti & Franci, & Galli, tunc in unum ita coaluerunt, ut Principes tunc ex Francis assumpti dederint nomen, quod vix post quingentos annos obtinuit: populus autem, & nobilitas dederit

derit legem hinc in hanc usque diem servari solitam. Quod autem scribit post multos alios Nicolaus Gillius tunc primum incœpisse Francos legibus uti, quis credat? sive Gallos, sive Francos dicas, est omnino impossibile. Siquidem Galli iam à Diluvio 1130. annis celebres ad tempus usque videlicet destructæ Troiæ 430. annis ante Romam à Romulo instauratam fuerant semper toto in orbe celeberrimi, & maximi. Franci autem à Troianis orti, & iam à 2793. anno mundi ad 4351. Germanico, sive Celtico Imperio clari per annos 1558. non poterant non habere litteras, & leges iam amplissimas, ut notavit ex Hunibaldo Trithemius. Est itaque intelligendum ut legibus tunc communibus & Gallis, & Francis uti cœperint. Interim quam essent potentes Galli eo tempore, quo Principum caruere memo-

memoria, ſatis patet, quum temporibus Tarquinij Priſci ſexcenta hominum bellatorum millia emiſerint, Cæſaris autem temporibus fuerint ſupra trecentos, populi illi qui omnes Gallorum nomine in Gallia vocarentur ſine ulla plane Francorum memoria. Curia itaque ſuprema non habet memorias originum regni, niſi poſtquam in unum coaluere & Galli dantes regibus legem duriſſimam, & Franci Principes, qui populo nomen honorandum dabant. Siquidem Dardanus à Iani, Saturnique eius hoſpitis iure Italico, in Aſiam occiſo Iaſio delatus, ut ibi Iapetus inciperet Semi fratris habitare tabernacula, fundata, aucta, & deſtructa Troia per poſteros poſtliminio rediit in Francis à Franco, Francioneve Hectoris filio nuncupatis, & ſuper Celtarum in tota Europa ſparſorum nomen replantatis. Sic

ſeruat ſua iura providentia, & proſcribendo merentes, & per eos acquirendo fraudatæ poſteritati deperdita. Sic nomen primæ, ſummæque tranſmigrationis mundi Gallorum dico, non eſt à Galla, ſive lacte, ut mentiuntur Græci (nam ſunt adhuc candidiores Gallis populi) nec à Galathe, qui diu poſt Diluvium fuit, ſed à Galah quod tranſmigrari, & fluctibus, undiſque circumvolui ſignificat in prima lingua mundi nomen, quod fuit inditum à Iano poſteritati ipſius Gomeri, à cuius vocabulo Cimbri, & Cimmerij, Cymbrium, & Gomari dicti ſunt in Bactrorum finibus, quo miſerat Ianus aliquot ex Gomeri Galli filiis, ut ſervarent Ibi Iapeti Monarchæ iura. Et aliquid maius de ſacris aſſumam: Gallia revera eſt univerſi revelatio, in qua Provincia nunc videmus factum, ut non tantum

duce. Fide, & authoritate, sed multo magis duce ratione, & intellectu sensim sit revelatum, detectum, & apertũ, quicquid unquã fuit in secretissimis Semi, sive Melchisedeci tabernaculis, sacris videlicet scripturis, quarũ iurisdictio est data Abramitis per Melchisedeci benedictionem. Christianissimis enim Christianissimos oportuit adesse sensus, sicut olim Druidibus certissimã de immortalitate fidem, donec verior à Messia de Semi prodiret tabernaculis Gomeriam, hoc est, consummationem perfectissiimam in Gallia acceptura & in totum orbem tanti miraculi rationem transfusura. Est & revolutionis Gens, in qua Deus quod ab æterno decreverat restituere, & duce ratione instaurare decreverit, ut ea omnia in quibus Deus sua fraudatus intentione fuit.

Post Gallicum, & generale nomen,

nomen, Celtarum eſt clariſſimum à Garumna ad Sequanam, aut Frubium, qui nunc Soma vocatur, impoſitum à Celtæ filio Bardi iunioris, & à Iapeto decimo. Drius genti & civitati, & religioni nomen impoſuit. Sarron, & Bardi Philoſophicis ſcholis. Samothes, hoc eſt, Cœleſtis nomen Ditis, hoc eſt, regni inferorum, & Occidentis habuit clariſſimum uſque ad Cæſaris tempora. Namnes civitati Armoricæ, Longo, ſeu Lango Celticæ. Illa Nantes, hæc autem Langres vocatur. A Belgio decimo quinto rege Belgica, à Narbone decimotertio Narbonenſis, quæ ad occaſum ob aquarum curſum, Aquitania dicta eſt. Allobrox 17. Savoiis, qui olim dicebantur Allobroges dedit vocabulum. Pariſij, à Paride decimonono rege. Remi à Remo vigeſimoquarto, & Lugdunenſes à Lugdo de-

cimoquarto. Sunt clarissimæ civitates, & populi. Non displicet quod Celtæ regi sit impositum nomen ab ustione, sive conflagratione Phaetontica. Nam קלת revera significat torrere. Hinc Græci Gallicum nomen immutarunt. Charta in cæteris est adhibenda.

FINIS LIBRI PRIMI.

GVIL-

Gvillel. Postel.

UNIVERSI ORBIS

Secundum

PTOLEMÆUM

EXPOSITIO,

Et ad cœleſtes rationes applicatio.

PARS ALTERA.

INSTITUTI RATIO.

QUONIAM *ſcopus eſt eorum, qui in Coſomographicis promovere diligenter cupiunt, ut ad tabularum Ptolomæi intelligentiam perfectam deveniant, & demum ex ea plane admiranda arte, qua noſtri Hemiſpharij partem ſuo ſeculo cognitam tradidit, tam alterius Hemiſpharij, quam earum partium quas in noſtro ignoraſſe videtur obſervationem conſcribamus, ideo omiſſis illis quæ à me in prima parte de Vniverſitate ſcripta ſunt, tantum finalem hanc tractatationem recudere nunc ſtatui. Nam licet etiam pars prima præclaræ obſervationis monumenta non pauca contineat, tamen duplici nomine nunc cogor omittere. Nam dum ſtatim poſtquam me*

probavi summo nostræ Galliæ Senatui, & postquam restitutis mihi illis exemplaribus, quæ fuerant iure manu conserta à curiæ ministris, prælectionis munus incœpi, tardiuscule cognovi, mihi perpauca pro meo auditorio exemplaria ex ea clade superfuisse, ita ut non licuerit post indictam prælectionis diem totum opus recudere, & præterea eiusmodi sunt, quæ in prima parte sunt, ut in multis à me scriptis aliis sint exposita. Ea de re commodissimum esse iudico, ut hæc tantum pars prodeat, quæ Compendium solum Tabularum Ptolemæi, ut ipse primo exposuit Ptolemæus, & post ipsum Henrichus Glareanus contineat, & demum Tabularum, sive Provinciarum Cælestem influentiam ut in Quadripartito eiusdem authoris exposita est proponat, addita longitudine, & latitudine tabularum cum quantitate dierum, & postremo,

quæ

qua in re est summa difficultas, & utilitatis, Mediorum quæ in singulis sunt tabulis Parallelorum explicatio. Nolui autem vel ulla in parte, à Glareani compendio differre in exponendis compendiose tabulis, quia satis absolute tractavit, Monendos tamen censeo omnes, qui rationem huius artis Quintæ, seu Quinti elementi scientiarum Mathematicarum volunt perfecte assequi, ut prius saltem degustarint, Arithmeticæ, Astronomiæ, & Geometriæ elementa, atque adeo ipsam Musicam Theoricam. Nam illarum omnium utitur opera. Musices quidem rarior usus, Sed assiduus Arithmeticæ, & Geometriæ est, nisi quia cum idiotis, & imperitis circini beneficio succurritur. Tamen inter Sphæræ circulos 8. qui sunt Horizō, Meridianus, & æquator ad sex genera positionis, Zodiacus duo Tropici, & duo Polares, duo sunt potissimum in usu nempe

Æquator cum sibi parallelis pro longitudine, & Meridiani pro latitudine mensuranda; Observatio vero certissima longitudinum à nobis, vita comite, propediem emittetur in lucem.

GVIL-

GVILLEL: POSTEL.

UNIUERSI ORBIS
Secundum
PTOLEMÆUM
EXPOSITIO,
Et ad rationes Cœlestes applicatio.

De Europa, & partibus eius maioribus.



B Europæ descriptione omnes authores inceperunt, tanquam ab ab ea, quæ esset notior, ac magis culta, & in qua fuit semper summum vitæ ornamentum, & prima iurisdictio. Tota olim Celtica dicta est, & primo quadranti cœli subesse Arieti, Leoni, Sagittario. Denique maxime celebrata, cum ob Macedonum

num Imperium, tum ob Romanorum potentiam Strabo etiam lib. 2. multas præterea rationes adfert. Hanc Ptolemæus libris duobus, videlicet secundo, & tertio, descripsit, in utroque regiones denas septenas enumerans. Ita ut universum regiones Europæ sint 34. tabulæ vero decem. Sunt autem regiones hoc ordine, Hybernia insula Britannica, Albion similiter insula Britannica: Hispania Bætica, Hispania Lusitania, Hispania Taraconensis: Gallia Aquitanica, Gallia Lugdunensis, Gallia Belgica, Gallia Narbonensis: Germania magna, Rhetia, Vindelicia, Noricum, Pannonia superior, Pannonia inferior, Illyris, & Dalmatia. Hactenus ex libro secundo apud Ptolemæum, sequente vero libro rursus 17. hæ: Italia, Cyrnus, Sardinia, Sicilia, Sarmatia in Europa, Taurica Chersonesus,

Iazyges Metanaſtæ, Dacia, Myſia ſuperior, Myſia inferior, Thracia, Cherſoneſus, Macedonia, Epirus, Achaïa, Peloponneſus, & Creta inſula.

De regionibus, quæ libris ſecuncundo, ac tertio apud Ptolemæum continentur. Et primum de inſulis

BRITANNICIS.

CUM autem in deſcribendo orbe, ingenium, ac induſtriam Ptolemæi nemo vicerit, operæ pretium viſum eſt nobis, illuc iuventutem velut ad fontem, & perfectum huius negocij artificem, dirigere. Perſtrinximus itaque regionum generales fines ad illius præſcriptionem, paucula adiicientes rerum vel noſtræ ætatis, inſigniumque locorum quædam nomina, ut videlicet tædium iuventutis allevaremus. Porro nec in artificio

ſolum

ſolum eximius Ptolemæus, ſed in ordine quoque admirabilis, ita regiones deinceps texuit, ut à ſiniſtris ad dextra, hoc eſt, ab occaſu ad ortum : deinde à magis ſeptentrionalibus ad auſtralia pergeret. Ideoque ab Hybernia inſula maxime Septentrionali, atque Occidentali incepit. Hybernia itaque inſula à Septentrione Hyperboræo alluitur Oceano, ab occaſu Occidentali, à meridie Vergivo, ab ortu Hybernico. Hodie dicitur IRLAND. Paret autem Anglorum regi. Homines ſunt agreſtes. In ea fabulantur eſſe D. Patricij purgatorium. De hac miranda ſcribit Pomponius Mela.

Albion à ſeptentrione habet Oceanum Deucalionum, ab occaſu Hybernicum, & Vergivum, à meridie Britannicum, ab ortu Germanicum. In ea neque montes ſunt, neque paludes, authore Ptole-

Ptolemæo. Sed refragatur experientia. Hodie in duo regna divisa est insula, Angliæ, & Scotiæ: quibus populis non admodum convenit. Insula triquetra est apud Cæsarem, & Strabonem. De ea copiose tractat Cæsar lib. 5. de bello Gallico. Insulæ adiacent his Orchades triginta numero, & Thyle Septentrionis ultima apud veteres.

Subest Arieti. à Bruto autem agnoscit origines 1100. annis à diluvio quum à Gallis pridem ante fuisset orta, & eloquentia docta, nomen habet alioqui ab universi angulo, Anglia. Saxones eam impetivere 493. anno Christi, qui partim obtinuere Longit. à 7.g. ad 33. 25. Latitud. à 51.g. ad 63. 11. Dies maxima 18. hor. medius parallelus ad meridianum est, ut 11. ad 20.

DE

DE HISPANIA.

Continentis prima portio ad occaſum, eſt Hiſpania quæ â Septentrione Cantabrico, ab occaſu occiduo clauditur Oceano, à meridie freto Herculeo, & mari noſtro, ab ortu Pyrenæis montibus, qui Galliam, ac Hiſpaniam diſterminant. Strabo lib. 3. corio bubulo adſimilat: Hæc treis in parteis à Ptolomæo dividitur, in Bæticam, Luſitaniam, & Taraconenſem.

Bætica à Bæti fluvio denominata, fines habet à Septentrione Luſitaniam, diviſam ab ea fluvio Ana: ab occaſu Oceanum occiduum, à meridie fretum Herculeum, & mare noſtrum, ab ortu lineam, quæ à Balearea civitate ad Anam ducitur. Hæc regio hodie regnum Granatæ dicitur, clarum Hiſpali emporio.

Luſita-

Lusitania à Septentrione habet Taraconensem Hispaniam, divisam ab ea flumine Durio ab occasu Oceanum occiduum, à meridie Anam flumen ab ortu lineam ab Ana ad Durium ductam. Hanc regionem aliquanto maiorem facit Strabo, & nostra quoque ætas. Portugalia enim vocatur, regnum nobile, cuius solertia factum est, ut ab Hispania in Indiam hodie navigetur. Civitas regia in ea est Vlysbona, quam Plinius Olyssiponem vocat.

Taraconensis Hispania, plus quam dupla ad priores, à Septentrione Oceanum Cantabricum, ab occasu occiduum habet, Lusitaniam, Bæticamque: à meridie mare Jbericum, sive nostrum ab ortu Pyrenæos montes, ac Galliam. Hanc secat amnis Iberus. à quo olim Romani Hispaniam citeriorem, ac ulteriorem divise-

runt. Hæc natio hodie quatuor habet regna, Castellæ, Galliciæ, Navarræ, ac Tarraconiæ, ab inclyta Scipionum civitate præclarissimi in Hispani populi Celtiberi, ac eorum urbs Neumantia, quæ Romanis decem annis restitit, tandem à Scipione inferiore expugnata. Item Saguntum oppidum insigni clade sub Annibale clarum, & Carthago nova à Scipione superiore expugnata clarissimæ sunt Barcino, & Valentia civitas. Porro Hispania Romanis obstitit plus ducentis annis, sub Augusto primum perdomita. Insulæ duæ adiacent Hispaniæ Baleares, maior, & minor, quæ hodie etiam inde Maiorica, ac Minorica vocantur, & Gadis in extremo Oceano Herculi sacra. Item Herculis columna in Bætica, Calpè.

Subest Sagittario. Habuit olim reges post Tubalem primum, ad

Romanos usque. Inde Gothos, & Vandalos, postea Mauros, sive Ismaëlitas, ultimo indigenas. Ad tempus usque Troiæ eversæ 24. reges habuere, quorum decimus nomine Hispanus Hispaniam, Hesperus 12. Hesperiam, 17. Lusus Lusitaniam Bætus 6. Bæticam. Iberus 2. Iberiam condidit. Longitud. à 2. ad 20. 18. Latit. à 36. ad 46. 10. Dies 14. hor. ad 16. parallel. ad mer. ut 3. ad 4.

DE GALLIA.

Tertia Europæ tabula.

SEQVITVR Gallia post Pyrenæos monteis, inter Hispaniam, Germaniamque, & duo maria, Oceanum, & mare nostrum sita. Quam C. Cæsar, & veteres omnes in partes tres diviserunt, Aquitaniam, Celticam (quæ proprie Gallia) & Belgicam, Aquitania à Celtis dividitur Garumna flumine, Celtæ à

flumine Sequana, Denique Belgæ à Germanis flumine Rheno. Hic enim eſt antiquus limes Gallorum, & Germanorum apud omnes authores. Atque hæc diviſio fuit antiqua. Auguſtus autem Cæſar Aquitanis adiecit quicquid inter Garumnam, & Ligerim amnes eſt populorum. Tum reliquos Celtas in Galliam Lugdunenſem, & Narbonenſem diviſit, adiecta Narbonenſi Provincia vetere, quam antea Romani tenuerant, quæque hodie adhuc nomen tenet. Hanc diviſionem poſteriores ſecuti ſunt Geographi, præcipue vero Ptolemæus. Eam nos quoque nunc proſequemur.

Aquitania igitur habet ab occaſu Oceanũ Aquitanicum, à Septentrione, & ortu Lugdunenſẽ Galliam flumine Ligeri diſcretã, à meridie partim Pyreneos monteis, partim Narbonenſẽ Galliã Lugdu-

Lugdunensis à Septentrione Oceanum Britannicum spectat, ab occasu partim Oceanum, partim Aquitaniam iuxta dictos limites: ab ortu Belgicam, divisam ab ea flumine Sequana, à meridie Narbonensem Galliam.

Denique Belgica à Septentrione Britannicum habet Oceanum, ab occasu Lugdunensem, ab ortu Germaniam magnam, divisam ab ea flumine Rheno, à meridie Narbonensem Galliam.

Postremo Narbonensis Gallia, à Septentrione Lugdunensi, ac Belgica concluditur, ab occasu Pyrenæis montibus, ac Aquitania, ab ortu Alpibus, à meridie mari Gallico. Hic lectorem admonere volumus, in descriptione Galliæ quod ad loca attinet, plus tribuendum C. Cęsari. quam Ptolemæo. Quippe Cæsar regionem peragravit, ac vidit. Fuit enim diligentissimus in locis de-

ſcribendis Cæſar. Porro Ptolemæus id non egit, ut omnia privata loca ad amuſſim pingeret, ſed ut regionum in genere veram phantaſiam, ac formam oculis ſubiiceret, Sequani igitur, Rauraci, Helvetij, Leuci, & Lingones, vicinique populi, nequaquam Belgis ſunt adſcribendi, ſed Celtis: etiamſi aliter tradidit Ptolemæus. Item Dubis, quem Cæſar Alduaſdubim vocat, Arar, & Rhodanus, non ex eiſdem montibus originem dicunt. Nec Aventicum, aut civitas Equeſtris, Sequanorum civitates ſunt, etiamſi ita exhibuit nobis Ptolemæus: ſed Helvetiorum, ut de Aventico Cornelius Tacitus lib.17. docet. Hoc idem de civitate Equeſtri ſatis patet ex ſitu Helvetiorum, à Cæſare deſcripto. Gallorum omnium fortiſſimi (ait Cæſar) Belgæ, maximæ famæ, Celtæ.

Cæſar

Cæſar totam Galliam decennio ſubegit, ait Strabo. Flumina Gallia habet opportuniſſima in utraque maria, & noſtrum, & Oceanum. Eam Franci, origine Germani, regio ſanguine occupavere, præter Belgicæ maritimam oram, & eam quæ Rhenum attingit: præterque Lotharingos, & Helvetios, qui hodie Sabaudienſes dicuntur. Urbes habent principalem Lutetiam, olim Pariſiorum oppidum, & Lugdunum nobile emporium. Belgæ hodie in Picardos, Flandros, Brabantos, Hollandoſq; diviſi ſunt, & quoſdam alios non ignobiles populos. Aquitania Gaſconiæ hodie nomen retinent. Celtæ autem innumera nomina. Ex his multi ſunt, qui Francis parent, ſunt item qui non parent.

Huic Aries ſignorum caput cum Mercurio, Marte, & Iove præeſt.

Sub propriis regibus bis mille annis fuit à Diluvio ad Cæsarem 300. annis sub Romanis. Postea ab anno Christi 400. aut circiter sub Francis Principibus. A Gomero nomen habet, & ius. Sed Galli nomen est ideo quod sint per aquas, & fluctus Diluvij traducti in hunc orbem ex altero, & antediluviano. Longit. 15. ad 29. 14. Latitud. à 42. ad 54. 12. Dies max. à 15. ad 16. hor. parall ad merid. ut 2. ad 3. Sub Druidarum Imperiis bis mille annos regnarunt ad Cæsarem usque. sub Romanis autem ad Valentinum Imperatorem, & Theodosium. Postea sub Francis regibus in legis Gallicæ tamen incommodissime, verba iuratis ad nos usque. Christum amplexi sunt reges 400. anno eius Imperium penes Gallos est formatum in Cæsare, reformatum in Constantino, restitutum in Carolo magno, asserendum in suo Vindice.

DE

DE GERMANIA.

Quarta Europæ Tabula.

GERMANIA magna ab occaſu Rhenum habet Galliaſque, à Septentrione Oceanum Germanicum, à meridie flumen Danubium. Regiones vero Rhetiam, Vindeliciam, Noricum, Pannonias duas, ſuperiorem, & inferiorem. Ab ortu Viſtulam flumen, & Carpathum montem. In hac tam vaſta, ac magna natione, ex antiqua appellatione quatuor duntaxat populorum nomina manſere, Saxonum, Phriſiorum, Marcomannorum, & Suevorum. Et Suevi quidem quondam ad Albim fluvium habitabant, patentiſſima regione, ut patet apud omneis authores. Cæterum Strabo etiam Suevorum ad ortum Danubij meminit lib. 4. ad finem, ubi hodie quoque manet nomen. Marcomanni au-

tem hodie vulgo Merrhenlandi dicuntur. Germaniæ maximus fluvius est Albis, ultra quem Romani non habuerunt Jmperium, ait Strabo lib. 7. Maxyma sylva in ea Hercinia est, de qua Cæsar lib. 6. elegantissime disserit: & quæ hodie Nigra sylva dicitur, eiusdem caput est. Bacenis autem sylva longe alia est, videlicet non longe ab Albi fluvio in Suevis. Multi hodie Pieeariam volunt: quæ in Turingis est. Tota hodie natio in multa regna, & regulos divisa est, non magno suo commodo. Utitur autem ferme vetere lingua Germania, exceptis Bohemis, ac parte Poloniæ. Urbes quoque in ea præclarissimæ, ut urbs Norica in umbilico prope Germaniæ, Ertphordia in Turingis, Praga in Bohemis, Uratislavia in Slesiis. Lubecum in Cimbricæ Chersonesi isthmo, & reliquæ infinitæ.

Germani sunt dicti quasi Gallorum essent fratres. Sunt autem ab Astzenazo primogenito Gomeri. Nam Hebræi ubivis gentium scribunt, & vocant illos Astzenazim, hoc est, filios Astzenazi: hinc ubi cessarunt Galli eorum parentes, illi in eorum locum successerunt, & ante alios Cimbri, qui à Gomero nomen habent. Subsunt etiam Arieti unde Imperium habuere, & electionem donec restituantur omnia. Nam ut Gomerus Gallus duo nomina habuit primum à miraculo, secundum à persona, ita uniri utrumque populum in unum necesse est. Sed vincat miraculosum nomen oportet. Ob incursiones Septentrionales tam ab ipsis, quam à Scandinavia insula, & à Schondia peninsula, & à Scythia sunt profectæ. Vix unquam habuere certum Imperium. ab electione 600. annis fere imperant. Longit. à 27. ad 46.18. Latitud. à 46. ad 59.13.

Dies

Dies maxima horarum à 15. usque ad 18. quæ sunt in Scandia Parallelus medius ad merid. ut 3. ad 5.

De RHÆTIA, VINDELICIA, NORICO, PANNONIIS duabus, JLLYRI, & DALMATIA.

Quinta Europæ Tabula.

RHÆTIA ab occasu Helvetiis, à Septentrione Danubio, & Germania, ab ortu Lyco flumine, & Vindelicia, à meridie alpibus terminatur. Hæc natio non prorsus ita habet apud Strabonem, qui eam ad Comum usq; extendit. Hi origine Thusci sunt, ut author est Livius lib. 5. ab Urbe condita. Et lingua Thusca etiamnum apud Rhætos manet, quanquam non incorrupta, ut idem ait Livius. Ipsi in tria fœdera scissi sunt, licet non eo omnino

nino tractu, quem pingit Ptolemæus.

Vindelicia ab occaſu Lyco, & Rhætia, à Septentrione, Danubio, & Germania, ab ortu Æno, & Norico, à meridie item alpibus clauditur. In ea præclariſſima urbs Auguſta Vindelicorum ad Lycum amnem.

Noricum ab occaſu Ænum flumen, & Vindeliciam, à ſeptentrione Danubium, & Germaniam, ab ortu Pannoniam ſuperiorem, à meridie alpes habet. Hæ duæ nationes nunc nomen Bavariæ habent. Pannonia ſuperior ab occaſu Noricum, à Septentrione Germaniam, & Danubium, ab ortu Pannoniam inferiorem, à Meridie Jllyrim habet. Hodie Auſtria, & Styria. Porro in ea præclariſſima urbs Vienna.

Pannonia inferior à Septentrione Germaniam, & Danubium,

bium, ab occasu Pannoniam superiorem, à meridie Liburniam, sive Jllyrim, & ab ortu Iazygas Metanastas habet. Hæc hodie sub Ungaris propemodum est.

Illyris, quæ eadem Liburnia (nam authores hæc duo nomina fere confundunt) item Dalmatia quæ magis ad ortum, ac meridiem à Ptolemæo singulatim descripta, quanquam regionem singularem puto) à Septentrione habent utramque Pannoniam, ab occasu Histriam, ab ortu superiorem Mysiam, à meridie Macedoniam, ac mare Hadriaticum. Tota hæc natio Sclavonia hodie vocatur, vulgo WENDENLAND.

Sunt hi ab Italia in hos montes profligati populi, duceque Rheto conducti, unde Grizones hodie quasi Resones, coniunctique sunt Helvetiis populis liberis, & fidis, quique

que ubivis gentium custodes adhibentur Principibus, & sic imperant penes se rebus publ. penes alios, Principum custodia.

Subsunt etiam arieti, unde isthæc imperandi vis, atque Austriæ etiam fœlicitas. Longit. à. 29. ad 47.17. Latit. à. 40. ad 48.7. Dies maxima 15. parallelus ad merid. ut 43. à 60.

De ITALIA, CORSICA, SARDINIA, & SICILIA.

Sexta Europæ Tabula.

HACTENVS quæ lib. 2. apud Ptolemæum sunt regiones, nunc quæ lib. 3. Italia peninsula ab occasu Alpium iugis terminatur, ad Varum usque flumen, & Tyrrheno pelago, quod etiam mare Thuscum, & inferum dicitur, à Septentrione alteris Alpium iugis, quæ Rhætiæ, atque aliis sequentibus nationibus imminent, ab

ab ortu Hadriatico mari, quod nunc Venetum vobant, olim à Romanis ſuperum vocabatur, denique à meridie mari Siculo. Hæc omnium regionum præclariſſima. Caput habet Romam, olim gentium dominam, & Tyberim amnem. Urbes præterea præclariſſimas, Inſubrium, Mediolanum, Venetorum Veronam, & urbem Novam, quæ nunc Italiæ clariſſima eſt, Ligurum Genuam, Thuſcorum Florentiam, Campanorum Capuam, nec longe ab ea liberam quondam Neapolim. Per mediam Italiam mons Appenninus tendit, perinde atq: ſpina per tergum hominis. Eſt in Italia togata Gallia iuxta Padum ingens flumen, ad Rubiconem uſque amnem, ubi vera Italia incipit. Hæc olim Gallia Ciſalpina vocabatur, cum altera Gallia videlicet noſtra, Tranſalpina, Comata, ac Bracata diceretur. Italiæ

formæ

formæ, tibiæ demortui hominis adſimilis eſt.

Cyrnos, quæ & Corſica inſula, ab occaſu, & Septentrione mari Liguſtico, ab ortu Hetruſco clauditur, à meridie mari, quod inter ipſam, ac Sardiniam iacet. Hæc inſula eſt nunc ſub Genuenſium Dominio. Laudatur hodie ex ea vinum.

Quiſquis in Italia imperavit, his præfuit inſulis, niſi quia aliquando ſub Græcis, Chartaginenſibus, Hiſpanis, & Normannis Cicilia fuit. Genuenſes imperant aliis. Italiæ autem imperium totius mundi occidui primum eſt. Eo quod & Aries, & Leo, duo prima ſigna cœli, illud in ordine, hoc autem in ſtellæ magnitudine (unde præcipua vis) huic parti præſunt. Inde tam ambitioſus in eam partem adventus Græcorum, Troianorum, Pythagoreorum, Saturni.

Ianus ea de re ibi ad basim Imperij Christi, suo regno paterno, & revera aureo cum sua sepultura locum sacrum, aut religiosum toti mundo faciens, fecit primam electionem mundi. Ea de re voluit Gomerum primogenitum mundi Vmbria Gallorum nomen plantare, donec ad Samothem fratrem primo, & inde ad Germanorum plagam, ne à Chamesitis corrumpetur, profectus est, quoad scelus Chamesitarum completum esset, hic sicut in Amorrhais, Chamesitis, Cananaisve. Quandiu imperarint Romani notum est. Nam ad Hirtium, & Sansam Coss. notavit Varro, citãte Arnobio, durasse imperium à Iani, Diluviive temporibus. Vnde Romulus perditissimus sategit abolere memorias Iani, & concedere primum ius Italiæ Saturno, donec à Numa Iani nomen in primo mense repositum est. Longit. à. 27. ad 43.15. Latit. à. 45. 7.

Dies

Dies maxima à 14. ad 15. hor. Parallelus, ut 3. ad 4. in Italia autem, Varro, asserente, ut dixi, Arnobio, ponit Italiæ regnum 2000. annos durasse à Iano ad Augustum, quod quidem constat sic. Nam a Diluvio ad Christum sub Augusto natum sunt 2300. anni. Quod si ætatem Iani post Diluvium exceperis (vixit enim 350. annos) superunt 2000. annorum plus minus. Nam secundo suo adventu Ianus 82. annos rexit Italiam. Ætates autem istæ possunt in Iohanne Lucido Samotheo videri quibus idem constat.

Septima Europæ Tabula.

SARDINIA ab ortu habet Thyrrenum pelagus, à meridie Africum, ab occasu, & Septentrione Sardoum. Hæc insula plantæ humani penis adsimilis est.

Sicilia insula triquetra, ab oc-

casu, & Septentrione mari Tyrrheno clauditur, à meridie Afro, ab Oriente Hadriatico, sive Ionio. Tria habet promontoria, unde & Trinacris à Græcis dicta, quorum Pelorus Septentrionem, ac Italiam spectat, Pachynus ortum, Lilybæum meridiem, & occasum. Ex Lilybæo quidam naves è Carthaginensium portu egredientes videre poterat, ut refert Val. Max. lib. 1. non ita longe à fine. Itaque quidam putant Siciliam plus æquo remotam ab Africa in Ptolemæi descriptione. Strabo tamen lib. 17. ait Carthaginem distare à Lilybæo spatio millium stadiorum, ac quingentorum fere, quæ cum Ptolemæi non omnino discrepat pictura. In hac insula mons Ætna incendio memorabilis, Syracusa urbs, ac Messana. Sardinia, ac Sicilia hodie sub ditione Hispanorum esse dicuntur.

A Sicelo Hispaniæ rege vocata Sicilia nil unquam celebrius Platone captivo, & Archimede maius habuit. Longit. à 30. ad 40. 10. Latitut. à 35. ad 40. 5. Dies maxima 14. parallelusve ad magnum circulum est ut 4. ad 5.

De SARMATIA EUROPÆ, TAURICA CHERSONESO, JAZYGIBUS, METANASTIS, DACIA, duabus MYSIIS, & THRACIA.

Octava Europæ Tabula.

SARMATIA Europæ terminatur à Septentrione Oceano Sarmatico, ab occasu Vistula fluvio & Germania, à meridie Iazygibus Metanastis, Dacia, ac Mysia inferiore, ab ortu Sarmatia Asiatica, fluvio Tanaï, Mæotideque palude. Hæc regio nostra ætate in multas regiones divisa est, Poloniam, Rhussiam, Prus-

ſiam, Pruſſiam, Lituanicam, Livonicam, Moſcoviam, Podoliam, Albam, Sarmatiæ maior pars, neque parva Germaniæ portio hodie ſub victorioſiſſimo Principe Sigiſmundo rege Poloniæ degit. Eſt in hac Boryſthenes ſatis celebre flumen.

Taurica Cherſoneſus Mæotide palude, Cimmerio Boſphoro, ac mari Euxino pene circundatur. Hodie minor Tartaria quibuſdam.

Lecet ex ſacrorum interpretum contextu non habeam, tamen nomen Haſſar mauthi dicam impoſitum toti Sarmatiæ, eo quod ibi revera providentia poſuit ſecundum etymon conclavia, & penetralia mortis. Nam inde in totius orbis mortem, & ruinam prodiere, tanquam Satanæ Septentrionarÿ viribus armati Parthi, Turcæ, Tartari, Alani, Vandali, Gothi, Gepidæ,

dæ, Heruli, Huni, & si quid pestis mortiferæ, ab Aquilone in totum orbem quietiorem transiit, ita ut etiam inde Cimbri in suos parentes Gallos insurrexerunt olim. De Scythia in Asia dicam. Longit est à 43. ad 72. 28. Latit. à 47. ad 62. 15. Paralleli proportio 11. ad 20. Dies à 15. ad 16. horas. Imperium fere semper incertum. Sed nil tota natura magis admirandum habet, quam quæ circa Schondiam sunt à Satanæ viribus ibi assidue perpetrari solita, ubi ascendens posuit sedem. Siquidem mundus sublimior ibi est.

Nona Europæ Tabula.

IAZYGES Metanastæ terminos habent à Septentrione Sarmatia Europæ, ab occasu, & austro Germaniam, & Pannoniam inferiorem, ab Oriente Daciam, hodie septẽ castra dicuntur, vulgo SIBEMBVRG, aut SIBEMBERG.

Dacia terminatur à Septentrione Sarmatia Europæ, ab occasu Jazygibus Metanastis, à meridie Mysia superiore, & Danubio, ab ortu Mysia inferiore, & Danubio. Hanc hodie Transylvaniam vocant. Est autem longe alia ab ea, quam non recte hodie Daciam vocant, cum sit Dania appellanda, vulgo Danmark, ad Cimbricam Chersonesum.

Mysia superior à Septentrione habet Daciam, ab occidente Dalmatiam, à meridie Macedoniam, ab ortu Thraciam. In ea est Dardania. Hæc hodie Servia dicitur.

Mysia inferior ab occasu habet Daciam, à Septentrione Sarmatiam in Europa, ab ortu pontum Euxinum, à meridie Thraciam, & Æmum montem. Hic Danubius sex ostiis in pontum Euxinum effunditur. Hodie Valachia, & Bulgaria.

Thracia à Septentrione habet inferiorem Mysiam, ab occasu superiorem, à Meridie mare Ægæum, ab ortu Bosphorum Thracium, à Thiras Japeti filio, ac Propontidem. In hac Constantinopolis est olim Byzantium.

Ad Thraciam, & Hellespontum est proprie Chersonesus, ubi urbs Sestus, amore Herûs, & Leandri clara.

Sunt in hac tabula omnino perturbatæ origines, ob frequentes Sarmautharum incursiones. Bastarnarum regio his populis communis cum Scithia, aut Sarmauthia. Arieti subest, unde tot incursiones, & dominandi libido. Longit. est à 42. 57. 15. Lat. à 40. ad 40. ad 48. 7. Dies maxima à 15. ad 16. horas. Proportio ut 43. ad 60.

De MACEDONIA, EPIRO, ACHAIA, EVBOEA, PELOPONNESO, & CRETA insula.

Decima Europæ tabula.

MACEDONIA limites habet à Septentrione Dalmatiam , Myſiam ſuperiorem , & Thraciam ,ab occaſu Ionium pelagus,ſive Hadriaticum, à meridie Epirum, atque Achaiam,ab ortu Ægæum pelagus. Ea natio geſtis , & regum nobilitate præclariſſima,præcipue vero Alexandri Magni. in ea urbes quoque præclariſſimæ , Theſſalonica, Philippi Demetrias : montes, Athos,Olympus,Oſſa,Pelios,& Othrys : fluvij , Sperchius, Peneus, Axius, & Strymon. Ptolemæus hanc latiorem facit, quam vetuſta deſcriptio habet apud Livium de bello Macedonico.

Epirus à Septentrione termina-

natur Macedonia ab occaſu, & Meridie mari Jonio, ſive Hadriatico, ab ortu Achaïa. Montes in ea Acroceraunia, & Pindus à Theſſalis imminens. Civitaces Oricum Ambracia, & Actium. Hæc natio à Romanis maxime vaſtata fuit, nobilis ſuo quondam Pyrrho rege. Inſulā adiacentem habet Corcyram, olim Phæaceam dictam, ut putant quidam, nobilem carmine Homeri, & Alcinoo rege, nunc Corfun nominant. Sunt & aliæ adiacentes inſulæ, Ithaca Ulyſſis patria, Cephaleniæ, & Echinades, ac Zacinthus.

Achia ab occaſu habet Epirum, à Septentrione Macedoniam, ob ortu mare Ægæum, à meridie Hadriaticum, & Creticum pelagus. In hac ſunt Athenæ diſciplinarum altrices quondam, Delphi in Phocide oraculo Apollinis clari: montes, Helicon,

con, Parnassus, Cithæron, Hymettus. Fluvius Asopus. Regiones præclarissimæ, Ætholia, in qua Calydon: Bœotia, in qua Thebæ; ac Phocis, in qua (ut diximus) Delphi. Item Sunium promontorium: Achaiæ Eubœa ingens adiacet insula, hodie Negropont. In ea Chalcis civitas clara morte Aristotelis. Ea est iuxta Euripum è regione Aulidis portus Bœotiæ.

Generale Græcorum omnium nomen Iones à Ion, seu Iavan Iapeti filio. Helas autem ab Elissah eiusdem postero authore Iosepho deductum est. Virgini subsunt. Et ob spicam virginis monarchia secunda post Leonem, unde Assyriorum, & Medorum, Persarumve natum est, sunt donati, ita tamen ut Leo occiduo influxu omnia receperit, donec Constantinus ex Capricorno, & Virgine in Thracia complevit influ-

influxum Byzantij, quam mutato nomine Constantinopolim dixit. Longit. est à 44. ad 55. 11. Latit. à 34. ad 42. est 8. Dies maxima à 14. ad 15. horas. proportio, ut septem ad 9. temporum autem ratio sic habet apud Græcos. Nil habent certi ante olympiadas, quæ Medorum 40. anno incœperunt. Regnarant antea Assyrij annos 1351. & 131. anno à diluvio incœperant, Mundus autem 1656. annorum diluvio fuit. 7. autem olympiade Israëlitæ facti Samaritani, sunt abducti. 41. vero captivitas Babylonica fuit, post quos destructiones omnia fuere perturbata, quare Deus dedit tunc tempora Græciæ quamvis sub Idolatria, admodum prospera.

PELOPONESVS limites habet à Septentrione Corinthiacum sinum, Isthmum, & Creticum pelagus. Ab occasu, atque meridie Hadriaticum pelagus,

gus, ab ortu Creticum mare. Hodie Moræa dicitur. Hæc toto orbe peninſula maxime celebrata eſt, propter Mycenarum, Agrivorum, Lacedæmoniorum, Sicyniorum, Elienſium, Arcadum, Pyliorum, & Meſſeniorum imperium. Multæ horum populorum præclariſſimæ urbes, multi Principes celebrati, immenſæ res geſtæ, montes, quoque, ac fluvij celeberrimi. Ab occaſu Strophádas inſulas habet duas, ab Auſtro Cythæra, ab ortu Salamina, & Æginam maximæ famæ.

Creta inſula ab occaſu terminatur mari Hadriatico, à Septentrione Cretenſi, à meridie Punico, ab Oriente Carphatio. Hac quoqne inſula nulla ſub cœlo magis celebrata. centum olim habebat oppida, ideoque ab Homero ἑκατόμπολις dicta, hodie Candia. Item in Ægæo pelago inſulæ ſunt multæ, quædam ab

ſitu

ſitu vocantur Cyclades, quæ circa Delum in circulo poſitæ ſunt. Reliquæ Sporades dicuntur, quod undique per mare diſperſæ ſint. De his omnibus Plin. lib. 4. cap. 12. copioſiſſime. Hæ omnes nationes, quas hoc capite enumeravimus, ſub Turcarum Imperio ſunt.

AFRICA.

De AFRICA, & eius partibus, ac primum de MAVRITANIIS duabus, AFRICA minore, ac NVMIDIA.

Primæ Africæ Tabula.

SEQVITVR deinde Africa, altera mundi pars, quam Ptolemæus, lib. 4. tabulis quatuor deſcripſit. Habet autem regiones duodecim Mauritanias, Tingitanam, ac Cæſarienſem: Numidiam novam, Africam proprie, Cyrenen, Marmaricam, Libyam, Ægy-

Ægyptum inferiorem, Thebaïda, Libyam interiorem, Æthiopiam ſupra Ægyptum, Æthiopiam omnibus his auſtraliorem.

Mauritania Tingitana ab occaſu habet Oceanum occidentalem, ad Septentrionem fretum Herculeum, & Ibericum, uſque ad Maluæ fluvij oſtia, ab ortu Mauritaniam Cæſarienſem, à meridie Getuliam, & Libyam interiorem. In hac Ptolemæus duos Atlantes conſtituit, maiorem & minorem. Eſt in ea Tingis Cæſarea, & columna Herculis Abyla.

Mauritania Cæſarienſis ab occaſu habet Tingitanam, à Septentrione Sardoum pelagus uſque ad Ampſagam fluvium, ab ortu Africam, à meridie Libycos montes, & Getuliam. In hac Siphacis quondam regia, & Maſæſyliorum regnum, quod poſtea in Maſiniſſæ manus venit.

Iosephus scribit ab Afer, sive Efer filio Abrahami ex. Ketura fuisse Africam nominatam, quum in Libya sedem posuisset primo. Scorpioni subest occidua pars Metagonitis Mauritania, Getulia. Longitudo à 5. ad 27. 22. Latit. à 26. ad 36. 10. Dies maxima à 13. ad 14. Proportio ad merid. ut 13. ad 15. Carthaginenses, Phœnices, Romani, Vandali, Ismaëlitæ imperarunt in ea.

Secunda Africæ Tabula.

AFRICÆ latus Occidentale, terminatur Mauritania Cæsariensi, & Ampsaga fluvio. Septentrionale pelago Africano: orientale, Cyrene: Meridionale, desertis interioris Libyæ: in hac Charthago est pertinax in perniciem usque suam Romani Imperij æmula. Est Utica, ubi posterior Cato se occidit. Est & Numidia Provincia, quam suis qui-

busdam, sed non ita propriis terminis descripsit Ptolemæus. In ea Cirtha regia civitas maxima, quanquam Ptolemæus eam Cirtesiorum faciat urbem. Multæ ante Aphricam insulæ sunt, & duæ Syrtes, maior, & minor, impediti, ac salebrosi sinus maris. Hæc tota cum duabus Mauritaniis natio, hodie Barbaria vocatur à nostris, à suis autem Islem.

Numidia, & Africa proprie sub Cancro. Origo à Punicis, Phœnicibusve, Regnarunt ibi Carthaginenses ut supra. Longit. à 26. ad 47.12. Latit. 9. à 25. ad 34. Dies maxima 14. hor. Proportio ad meridianum ut 13. ad 15.

De CYRENAICA, ac reliquis nationibus Africæ.

Cyrene ab occasu habet Syrtim magnam, ac Africam proprie, à Septentrione Libycum pela-

pelagus, ab ortu Marmaricam, à meridie deserta Libyæ interioris. Civitates insignes inter cæteras sunt Beronice, Arsinoë, Ptolemaïs, Apolonia, ac Cyrene. unde & Pentapolis dicta.

Marmaricam, Libyam, ac Ægyptum, Ptolemæus non adeo accurate distinxit, quanquam Marmaricam ad Cyrenem ponit, deinde Libyam, postremo Ægyptum ad Asiam, & sinum Arabicum. Hæ tres etiam nationes ad Septentrionem habent Ægyptiacum pelagus, ad meridiem Æthiopiam supra Ægyptum. In Libya hac est Hammon oraculo Jovis clara civitas. In Ægypto inferiore Alexandri magni, & regum Ptolemæorum regia, denique nostri Ptolemæi patria. Hæc Ægyptus Nilo quotannis irrigatur, fluvio totius orbis maximo, qui septem ostiis in nostrum mare exoneratur, ac Ægy-

ptum inferiorem in litteræ Δ formam ambit. Supra hanc Thebaïs regio est ad Nili ripas utrinque, ac undique propemodum montibus circundata. In ea multæ, ac præclarissimæ urbes, ut Thebæ centum portis, Homero celebratæ: quæ etiam διόσπολις, de qua Juvenalis,

Rari quippe boni, numero sunt
vix totidem, quot
Thebarum portæ, vel divitiis
ostia Nili.

Ad sectionem Nili, ubi Δ efficit, Babylon est: atque paulo infra Tanis, sive Tzoan, ubi filij Israël priorem captivitatem, de qua in Exodo, passi sunt, ac Mose duce per rubrum mare sive sinum Arabicum in deserta Arabiæ deducti, postea in terram sanctam venerunt.

Sub Geminis sunt Marmarica, Cyrene, Ægyptus inferior. Pharaones,

nes, Ptolemæi, Cæsares, Ismaëlitæ ibi sunt dominati. Longit. à 46. ad 65. 18. Latit. à 27. ad 32. 9. Dies maxima 14. Proportio paralleli medij ut 13. ad 15. Ægyptus in hanc usque diem Mitzir, & Mazaræ dicitur à Mizrain filio Chamesis maledicti.

Quarta Africæ Tabula.

LIBYA interior terminatur à Septentrione duabus Mauritaniis, Africa, atque Cyrene, ab ortu Æthiopia quæ supra Ægyptum est, ab occasu Oceano occidentali, à meridie Æthiopia omnibus his australiore. Populi in hac celebres Garamantes, & Getuli. Æthiopia quæ supra Ægyptum est, terminos habet à Septentrione Ægyptum, Marmaricam, & Libyam: ab occasu interiorem Libyam, à meridie exteriorem Æthiopiam, ab ortu Arabicum sinum, sive mare ru-

brum. In hac Meroë insula est Nili, in qua divus Matthæus prædicasse Euangelium dicitur. Item Troglodytica natio, & aromatica.

Æthiopia omnibus his australior à Septentrione habet Libyam interiorem, & Æthiopiam supra Ægyptum, ab occasu, & meridie Ptolemæo incognitam terram, ab ortu sinum Barbaricum, quæ pars est Oceani Indici meridionalis. In hac montes Lunæ sunt, ex quibus Nili paludes originem trahunt. Extremum Ptolemæo cognitum Prassum est promontorium. Verum nostra ætate tota hæc portio à Lusitanis inuenta est, ut postea exponemus.

Lehabim de suo nomine dedit Libyæ vocabulum. Piscibus autem, & Aquario subest. Æthiopes olim Chussei à Chusso filio Chami dicti

dicti sunt. Longit. ab una ad 85. Latit. 47. partium. Proportio eadem fere cum maiori circulo.

ASIA.

De ASIA tertia parte mundi.

ASIAM magnam Ptolemæus tribus libris descripsit, quinto, sexto, & septimo: item duodecim tabulis. Provincias eius facit 48. quanquam in ultimo catalogo libri octavi apud eundem non usque adeo clarum est, num Pontum, ac Bithyniam duas faciat regiones, an Galatiam, ac Paphlagoniam: utræque enim illic binæ, quæ in quinto singulæ, nec distinctæ. Idem de magna Phrigia, & Syria Cava dubitavimus. Sunt autem in quinto hæ nationes, Pontus, ac Bythynia, quæ proprie Asia dicitur, Phrygia, Lycia, Galatia, Paphlagonia, Pamphylia, Cappadocia, Armenia minor, Cilicia, Sarmathia A-

siatica, Colchis Iberia, Albania, Armenia maior, Cyprus insula, Syria cava, Phœnicia, Palestina, Judæa, Arabia petræa, Mesopotamia, Arabia deserta, Babylonia. In sexto hæ sunt nationes, Assyria, Susiana, Media, Persis, Parthia, Carmania deserta, Carmania altera, Arabia felix, Hircania, Margiana, Bàctriana, Sogdiana, Sacæ, Scythia intra Imaum montem, Scythia extra Imaum montem, Serica, Aria, Paropamisus, Drangiana, Aracosia, & Gedrosia. In septimo libro sunt hæ, India intra Gangem fluvium, India extra Gangem, Sinarum regio, & Taprobane insula.

Asia ab Vxore Iapeti id nominis fœmina, quæ nomen ea de re huic parti mundi dedit, quod ius secundarium Asiæ ad ipsum pertinet Iapetum, qui generis humani creditus est in fabulis author, eo quod uti mundi

mundi parens & pater omnes informabat doctrinis, & veluti animo donabat. Et ea de re Gomerus primogenitus ipsius Asiæ dictus est Prometheus, quod naturæ humanæ formandæ, sapientiaque instruendæ ius haberet.

De PONTO, ac BYTHYNIA, ASIA proprie, LYCIA, GALATIA, ac PAPHLAGONIA, PAMPHYLIA, CAPPADOCIA, ARMENIA minore, & CICILIA.

Prima Asiæ Tabula.

PONTI, ac Bithyniæ termini sunt ab occasu Thracius, Bosphorus, & Propontidis pars, à Septentrione pontus Euxinus, ab ortu Galatia, à meridie regio quæ proprie Asia. In ea sunt urbes præclaræ Chalcedon, Nicea, ac Nicomedia.

Quæ proprie Aſia dicitur, habet à Septentrione Bithyniam, ab occaſu Propontidem, Helleſpontum, ac Ægeum pelagus. quod iis in locis Jcarium, ac Mirtoum dicitur: à Meridie Rhodiēſe pelagus, ab ortu Lyciam, Pamphyliam, ac Galatiam. Sed notandum regionem, quæ proprie Aſia dicitur, apud Ptolemæum comprehendere Phrygiam magnam, ac Cariam. Præterea eſſe in ea Myſias duas, maiorem, ac minorem, Phrygias autem duas, maiorem, & minorem, & hanc quidem dici Troadem, in qua Ilium, ac Ida mons. Denique in ea eſſe Æolida, Ioniam, ac Dorida regiones. Eſt autem hæc natio abunde apud omnes authores celebrata urbibus præclariſſimis. Præterea fluminibus, ac montibus innumeris. Carum etiam nomen in militia clarum eſt, Lydorum vero in divitiis. Hæc hodie cum

cum adiacentibus regionibus magna Turcia dicitur. Lycia terminatur ab occasu, & Septentrione, regione quæ proprie Asia dicitur, ab ortu Pamphylia, à Meridie mari proprio. In ea Xanthus flumen, ac Patara urbs.

Galatia limites habet ab occasu Bithyniam, & partem Asiæ proprie, à Meridie Pamphiliã, ab ortu Cappadociam, à Septentrione pontum Euxinum. In hac Paphlagonia est ad pontum Euxinum. Item civitas Synope, & extrema Carambis, fluvius Halis, Lydij olim, ac Medici Imperij discrimen. Galatæ à Celtis oriundi sunt, quos Græci Galatas, Latini Gallos dixerunt. Galatarum linguam ait D. Hieronymus, suo tempore fuisse similem Trevirorum. ad hos D. Paulus scripsit.

[*Piscibus seu ultimo signo subiecta est.*]

Pamphylia terminatur ab occasu Lycia, ac Asia, à Septentrione

ne

ne Galatia, ab ortu Cilicia; & Cappadocia, à Meridie Pamphylico mari. In hac ſunt Perga, & Attalia civitates, quarum mentio eſt in actis Apoſtolorum.

Cappadocia terminatur ab occaſu Galatia, à Meridie Cilicia, ab ortu Armenia minore, A ſuperne etiam maiore, à Septentrione ponto Euxino. In hac flumen eſt Termodon. Item civitates maritimæ duæ, Trapezus, & Temiſcyra, Item Amaſeia Strabonis patria.

Armenia minor à Septentrione, & occaſu habet Cappadociam, ab ortu Armeniam maiorem, diſtinctam ab ea Euphrate flumine: à meridie Ciliciam.

[Vltimum ſignum hic dominatur.]

Cilicia terminatur ab occaſu Pamphylia, à Septentrione Cappadocia, & minore Armenia, ab ortu Ammano monte, à Meridie mari Iſſico, ſive Cilicio. In hac fluvius

fluvius Cydnus, qui Tharſum urbem præclariſſimam perluit D. Pauli patriam. Hactenus Cherſoneſi regiones enumeratæ ſunt, quam minorem Aſiam vocamus. Habet autem inſulas circunquaque adiacentes. Et Troas quidem, Tenedon, & Leſbon. Lydia vero Chium: Ionia autem Icarum, & Samum. Denique Caria Con, Doris Carpathum, Lycia Rhodum, omni ætate claram inſulam.

Nomen præcipuum habet eo, quod fuit ſemper clariſſima Aſiæ pars in qua etiam, ut ſcribit Ioſephus, fuit habitatio Iapetitarum. Nam Iones in Græco nomine primo ſunt illic agniti: & primi habuerunt litterarum uſum. Subeſt tauro, aut ſigno ſecundo, ſed Cilicia, & Pamphilia piſcibus. Longitudo eſt à 55. ad 72.17. Latitudo à 35. ad 44.9. Dies maxima à 14. ad 15. horas.

ras. Parallelus est ad meridianum ut 3. ad 4.

De SARMATIA in ASIA, Colchide, Iberia, Albania, & Armenia minore.

Secunda Asiæ Tabula.

SARMATIA Asiatica terminatur à Septentrione terra incognita Ptolemæo, ab occasu Sarmatia Europæ, Tanaï fluvio, Mæotide palude, ac Cimmerio Bosphoro: à Meridie Euxino mari, Colchide, Iberia, ac Albania: ab ortu Scythia intra Imaum montem, & mari Caspio. In hac sunt Amazones, montes Hyperboræi, & Caucasus, Mithridatis regia, Alexandri columnæ. Et Turchi, qui corrupte in omnibus Ptolemæi codicibus Thusci leguntur. Hæc hodie Tartaria dicitur. Hic etiam notandum quas Ptolemæus duas Sarmatias facit,

eas

eas alios authores Scythias nominare. Ac de aliis duabus Scythiis vel nihil, vel parum tradidiſſe, tametſi omnes Septentrionis populos Scythas nominant paſſim.

De nomine Sarmauthiæ dixi Supra. Nam alioqui Scythia dicitur tota regio Septentrionis à Scheth Adami filio, eo quod à Scythica Armenia Saga eſt primo prognatum humanum genus, quod ipſi ſciebant Prophetæ futurum. Sed in alia tabula dicetur amplius. Longitudo eſt à 64. ad 83. 23. Latitudo à 46. ad 63. 16. Dies maxima à 15. ad 17. horas. Proportio paralleli ut 7. ad 12. Hic regnabant Cimmerij, hoc eſt, Galli, Gomeritæ ſuorum finium defenſores quando Scythæ ab Armeniæ finibus in hanc venere Provinciam, ita ut à Scythis fugientes, ſedem in Aſia minori poſuerint, ubi Sinopem ædificarunt.

runt. Herodotus ponit lib. 4. Melpome.

Tertia Asiæ Tabula.

COLCHIS habet à Septentrione Sarmatiam in Asia, ab occasu pontum Euxinum, à Meridie maiorem Armeniam, ab ortu Iberiam. In ea Phasis flumen, & urbs Dioscurias. Ex ea Medea cum Jasone profugit in Græciam.

Cancer hic in Cholcide præcipue dominatur, Geminis subest Armenia quod tertium signum est. Hic fuit humani generis renascentia post diluvium, & postea Carduchi Celebres. hinc Scythæ, & Itali, seu Gombri Galli. Longit. à 70. ad 87. 17. Latit. à 38. ad 47. 9. Dies maxima à 14. ad 15. hor. Miliaria 47. seu ut 11. ad 15. Non longe ab illis montibus esse fons olei ab incolis perhibetur. Sicut olim Bitumi-

tuminis erat, unde & Babylon fuit constructa.

IBERIA undique montibus septa terminatur à Septentrione eadem Sarmatia, ab occasu Colchide, à meridie maiore Armenia, ab ortu Albania.

Albania habet à Septentrione eandem Sarmatiam ab occasu Iberiam, ab ortu mare Caspium, sive Hircanum, à Meridie Armeniam maiorem. In his regionibus cum Mithridate rege Ponti bellavit Pompeius. Aiunt & in ea divum Bartholomæum concionatum verbum Dei. Gurgi, seu Georgi vocant hanc regionem, in qua est Hamsem Provincia tenebrarum, nunquam videns solem, in qua sunt proscripti divinitus Saporis Persæ milites olim Christianos persequentes.

Armenia maior terminatur à Septentrione Colchide, Iberia, ac

Albania : ab occaſu minore Armenia, ac Euphrate, parte etiam Cappadociæ : ab Oriente mari Caſpio, & Media : à Meridie Meſopotamia, atque Aſſyria. In montibus Armeniæ poſt diluvium arca Noë conſediſſe dicitur Gen. cap.8. Quidam etiam addunt Gordiæis montibus. Euphrates in ea oritur, & Araxes, & Tigris, fluvij celeberrimi.

De CYPRO inſula, SYRIA, atque eius partibus PHOENICE, CAVA SYRIA, PALÆSTINA IVDÆA, ARABIA PETRÆA, MESOPOTAMIA, ARABIA deſerta, ac BABYLONIA.

Quarta Aſiæ Tabula.

CYPRVS inſula ab occaſu pelagus habet Pamphylicum à Meridie mare Ægyptiacum, ab ortu

ortu Syriacum, à Septentrione Cilicium. Hæc insula Veneri quondam sacra fuit. Habet urbes Paphos duas, veterem ac novam, & Salamina.

Syria terminatur à Septentrione Armeniis, ab occasu Syriaco pelago, à Meridie Judæa Palæstina, ab ortu Arabia deserta, Mesopotamia, ac flumine Euphrate. Natio mire celebrata in Judæorum scriptis. Sub ea Phœnice comprehenditur, & Syria Cava, sive Cœle, quam non recte vocant Curvam. Antiochiam habet ad Orontem fluvium, nominatissimam urbem in actis Apostolicis. Item Tirum, ac Sydonem, Seleuciam, Damascum: montes, Carmelum, Lybanum, & Antilybanum.

Palæstina Judæa pars Syriæ, habet à Septentrione Phœniciam, ab ortu Syriæ partem, à Meridie Petræam Arabiam, ab

occaſu Syriacum pelagus. In hac Hieroſolyma, Cæſaræa Sratonis, Joppe, nunc Japhet Multæ item aliæ in ſacris literis nominatæ urbes. Ipſa etiam Samariam complectitur, ac Galilæam. In ea Iordanis fluvius, qui Geneſar lacum effundit. Ptolemæus etiam Tiberiadis addit lacum, qui neque apud Plinium, neque apud Strabonem habetur, ſed Tiberias oppidum ad Geneſaritidem lacum legitur apud Plinium: Denique in Aſphaltida labitur, quod mare mortuum vocant. In ea eſt terra, quam ſanctam vocant ſacræ literæ, diviſa in duodecim tribus Iſraël. Cuius longitudo eſt à Dan ad Berſaben, latitudo ab Ioppe ad montana, quæ undique Iordani imminent ab Arabibus.

De hac dictum eſt in ſpeciali Syriæ deſcriptione. Fuit autem à Canaano perditiſſimo quartogenito Chami

Chami occupata ſuadente patre, eo quod primus locus Sacer toti mundo ob ſepulchrum Adami ibi eſt, cum primo cæli aſpectu. Fuit itaque terra ſancta ſub Chananæis ad legis uſque ſcriptæ promulgationem, inde ſub Moſaïcis ad Chriſtum uſque: niſi quia poſt captivitatem Iſraël Cutthei, Medi, & Perſæ, poſtea Aſſyrij, Græci, Ægyptij ſubegerunt, ſed ſemper ibi ad Chriſtum uſque duravit gens Iudaïca in Ieroſolymorum poſſeſſione. Accepere poſtea Chriſtiani ob ius Iapeti, & Eſau, deinde Iſmaëlitæ ob ipſorum benedictiones. Et primum, & quartum ſignum præeſt huic Provinciæ, ut ſupra docuimus, Aries ob ordinem, Leo ob ſtellæ magnitudinem.

Hæc eſt Chriſti ipſius proprietas à Chriſtianiſſimo Principe neceſſario aſſerenda, & ſummo capite authoritatis donanda. Long. à 63. ad 80.17. Latit. à 28. ad 38.10. Dies maxima horarum à 14. ad 15. &c.

Parallelus medius ut 5. ad 6. Regnavit in Syria lex Naturæ ad Diluvium 1556. & centum annis, prædicatum ibi est diluvium dum fieret Arca. Sem qui & Melchisedech ibi Pontificem egit maximum 500. annis 367. quorum vocatus est Abram, anno ætatis 75. obiit autem Melchisedech 48. anno Iacobi, resignato illi Pontificatu 295. annis postea data est lex Scripturæ, quæ duravit sub iudicibus 437. annis sub regibus 339. 70. in captivitate, & inde ad destructionem 490. Post libertatem alij ponunt 544. venisse Christum. In summa lex 1500. annos duravit, in suo Levitico Pontificatu. Olympiades incœpere anno 252. ædificati templi antequam rueret Israël. Olympiade autem 194. anno tertio natus est Christus qui in suis discipulis, & & regno Iudæ 626. annis sua proprietate potitus est. Inde 950. annis Ismaël in Muhamede ad idolola-

triæ

tria profligationem contra Persas nato. Sic autem habent tempora. Ab Adamo ad Enoch raptum 1000. *anni. ad Abram* 1000. *anni. ad Eliam* 1000. *ad Christum* 1000. *ad Bernardum* 1000. *& sunt apud Deum mille anni tanquam dies unus sumusque in sexta die.*

ARABIA Petræa terminatur ab occasu Ægypto, à Septentrione Palæstina, Judæa, à Meridie interiore sinu Arabico, ab ortu Arabiæ fælice, ac deserta. In hac Petra est metropolis. Hæc olim Nabatæa dicebatur. Per huius partem filij Jsraël ex Ægypto in terram sanctam venerunt.

Mesopotamia finitur à Septentrione Armenia maiore, ab ortu Assyria per amnem Tigrim, à Meridie partim Arabia deserta, partim Babylonia per Euphratem flumen. Hæc regio, quod

inter duos fluvios, Tigrim, ac Euphratem media ſit, Meſopotamia dicta eſt. Moſes Geneſeos cap. 11. vocat illam Aran. In ea urbs Carræ, cæde M. Craſſi nobilis, ab Hebræorum Hiſtoricis maxime celebrata. Item Edeſſa Abgari regis civitas, cuius mentionem facit Euſebius lib. 1. cap. 15.

Arabia deſerta habet à Septentrione Meſopotamiam, ab ortu Babyloniam, à Meridie fœlicem Arabiam, ab occaſu Syriam, ac Arabiam Petræam.

Babylonia terminatur à Septentrione Meſopotamia, ab occaſu Arabia deſerta, ab ortu Suſiana, à Meridie ſinu Perſico. In hac Chaldæa regio eſt, cuius urbs Urchoa, quæ apud Ptolemæum Orchoa legitur, patria Abrahæ. Geneſeos cap. 11. In regione Babylonia, urbs eſt ipſa Babylon, opere, ac magnificentia inter ſe-

ptem orbis ſpectacula. Hactenus libri quinti regionis recenſuimus, ſequuntur nunc libri ſexti eiuſdem Ptolemæi.

Hic Leonis eſt virtus, unde eſt Baſis Monarchiarum Satanæ, quæ in Babylone Orientali incæperunt, & in Occidua ſunt conſummatæ.

De ASSYRIA, SUSIANA, MEDIA, PARTHIA, HIRCANIA, ARABIA fœlice, ac duabus CARMANIIS.

Quinta Aſiæ Tabula.

ASSYRIA finitur à Septentrione Armenia maiore, ab occaſu Meſopotamia, & Tigri flumine, à Meridie Suſiana, ab Oriente Media. Horum Imperium, & antiquiſſimum erat, & maximum. In hac eſt Ninus urbs, ædificata à Nino Beli filio.

Media terminatur à Septen-

trione Hircano, sive Caspio mari, ab occasu maiore Armenia, & Assyria, à Meridie Perside, ab ortu Hircania, & Parthia. Horum etiam Imperium olim magnum fuit, & ab Assyriis translatum. Porro regum Persarum domicilium erat æstivo tempore Ecbatanis in Media, Hyberno in Perside.

Susiana habet à Septentrione Assyriam, ab occasu Babyloniam, ab ortu Persidem, à Meridie. Huius regionis metropolis sunt Susan.

Persis terminatur à Septentrione media, ab occasu Susis, ab ortu Cermaniis duabus, à meridie sinu Persico. Hi à Medis in se & Susa retulerunt regnum. Quorùm nomen & lingua etiamnum toto Oriente clarent.

Parthia ab occasu habet Medos, à Septentrione Hircaniam, ab ortu Ariam, à Meridie desertam

tam Carmaniam. Hi omnium Orientalium maxime Romanorum imperium, cum potissimum florerent Romani, retruderunt.

Hircania terminatur à Septentrione Hircano pelago, ab occasu Media, à Meridie Parthia, ab ortu Margiana, ferax natio Tigridum. Unde illud Virg. Æneid. 4.

Hircanaque admorunt ubera Tigres.

Quum tres sint Assurim, unus Nemrodi, alius Semi, tertius Abrahami, dubitari posset à quonam Assyria dicta fuisset. Sed quum à Babylone sit Assur, ut est in sacris Geneseos divina, dubium tollitur. Itaque nomen Babyloniorum ab urbe præcipua, Assyriorum autem ab Assur est dictum. Nam sicut Assyriorum, & Babyloniorum eadem Monarchia est, & prima: sic Medorum, sive Persarum, est secunda, quia iisdem Provinciis, & finibus

sunt

sunt potiti. Sic Macedonum, vel Græcorum idem est. Romanorum autem, sive Italorum est idem. Quarto in loco, & senili impietatis. Quintum Elementum est additum eorum qui sacrosancta, & primaria nominis Christiani gloria perversissime sunt abusi, & Romam revera esse, sicut B. Hieronymus docuit, Babylonem demonstrarunt. Tanti fuit Nemrodi rebellio, & turris Bobylonicæ constructio. Regnarunt Assyrij sub 37. regibus, annis 1236. Medi autem annis 300. sub regibus 9. & sub illis Persæ 230. regibus 14. Græci 360. annis. Nam sunt 235. ad Syriam per Romanos possessam, & inde ad Christum 91. Cæsar (præter Imperatores Galliæ) imperat, 1500. annos Longitudo. à 75. ad 101. 25. Latit. à 29. ad 43. 14. Dies maxima à 14. ad 15. hor. Parallelus ut 4. ad 5.

Sexta Asiæ Tabula.

ARABIA fœlix à Septentrione habet Petræam, atque desertam Arabias, ab occasu sinum Arabicum, à Meridie mare rubrum, ab ortu sinum Persicum, & mare rubrum, In hac Saba est, & nostra ætate Mecha, domicilium Machumeti, falso creditum. Nam sepultus est in Medinah urbe triduo distante à Mecha.

A Saba filio Chami Sabea, à populi mixtione Arabia dicta est. Ismaëlitarum est possessio. Ibi fuit decennio habitus Messias Muhamedes à centenis Samaritanorum millibus, donec successu temporis rediere cæteri Samaritani ex Arsareth terra ultra montem Belgiam sita ex cuius confinio Turcæ, & Tartari repedarunt ad nos facti Ismaëlitæ. Sagitarius illos agitat. Longit. à 65. ad 164.39. Latit. à 9. ad

ad 31. 22. Dies maxima à 12. ad 14. Parallelus ut 10. ad 12.

Deserta Carmania habet ab occaſu Perſidem, à Septentrione Parthiam, ab ortu Ariam, à Meridie alteram Carmaniam.

Carmania altera terminatur à Septentrione Carmania deſerta, ab ortu Gedroſia, ab occaſu Perſide, & ſinu Perſico, à Meridie Indico pelago. Hæ duæ nationes nihil memoratu dignum habent, niſi quia ferri acie ſunt inſignes.

De MARGIANA, BACTRIANA, SOGDIANA, SACIS, duabus SCYTHIIS, ac SERICA.

Septima Aſiæ Tabula.

Margiana habet occaſu Hircaniam, â Septentrione Scythiam intra Imaum montem, à Meridie Ariam, ab ortu

tu Bactrianum. In ea Messagetæ sunt Daæ, & Tapuri populi.

Bactriana terminos habet ab occasu Margiam, à Septentrione, & ortu Sogdianam divisam ab ea Oxo amne, à Meridie Ariã, & Paropamisadas. In ea Bactra sunt eius regionis metropolis.

Sogdiana terminatur ab occasu, & Septentrione Scythia intra Imaum montem, ab ortu Sacis, à Meridie Bactriana, & India. Hactenus Alexander Magnus exercitum duxit. Sunt autem duæ Alexandriæ in ea, Oxiana, ac ultima.

Sacæ terminantur ab occasu Sogdiana, à Septentrione Scythia intra Imaum montem, ab ortu Scythia extra Imaum montem, à Meridie India intra Gangem. Regio Nomadum est: civitates enim non habent, nemora autem, & speluncas inhabitant, ait Ptolemæus.

Scythia intra Imaum montem ab occaſu habet Aſiaticam Sarmatiam, à Septentrione terram Ptolemæo incognitam, ab ortu Imaum montem, à Meridie Sacas, Sogdianos, & Margianam.

Libræ ſubſunt Bactri, Caſpij, Seres: unde Tartarorum virtus, & imperia maxima Turcarum, & Sophiorum inde emerſa. Sed nil hic eſt celebrius Comaris, qui filij Gomeri erant à Iano huc deſtinati ſui iuris cauſa, ut ait Beroſus. Ibi tantis maleficiis, ut aërem omnino tenebroſum ad multum tempus, & ſpatium 5. dierum reddant, ut homines in hoc capiant, & vendant. Præſens fuit in eo M. Paulus, ſed evaſit in caſtrum Canoſalinum proximum, & ſocij fuere capti. Longit. ab 85. ad 145.71. cum Hircano mari. Latit. à 35. ad 63. 28. Dies maxima à 14. ad 15. horas. Parallelus medius ut 2. ad 3.

Octava Asiæ Tabula.

Scythia extra Imaum montem terminatur ab occasu Scythia altera, & Sacis, à Septentrione terra incognita Ptolemæo, ab ortu Serica, à Meridie parte Indiæ extra Gangem. Sane ante admonuimus de his duabus Scithiis apud veteres raram, vel nullam potius esse mentionem.

Serica terminatur ab occasu Scythia, quæ extra Imaum est, à Septentrione, atque ortu terra incognita Ptolemæo, à Meridie India extra Gangem, & Sinis. In hac Issedones sunt, ac Sera metropolis.

Libra præest his regionibus. Vnde maximæ Septentrionis incursiones, ob humanum genus ibi renatum. Nam & Scythæ aiunt se habere à finibus Araxis in Armenia nomen, & originem. Nomen itaque

que est à Scheit, sive à Seth hominum natorum, & proborum primo. Siquidem eius iure Noachus sategit Septentriones restituere ubi est corporum vehementia. De his autem, quæ sequuntur regionibus, parum est certa fama, & multo incertior dimensio. Sunt itaque nobis hæ Provinciæ ex Haitono supplendæ. In ultimis itaque orientis finibus ad Septentriones est regio Belgian. Vnde Tartari pastores, & Iudæi clausi suæ originis obliti exierunt aperto illis ad exitum divinitus mari ut mundum castigarent. Ad meridianam eorum partem est Catainorum regnum præstantissimum totius orbis Scribus respondens, & clarum quum aliis rebus, tum maxime civitatibus maximis Cãbalu, Catai, & Quinsai. Illac transit fere Paradisi terrestris (quatenus coniecturis ibi creditur) Meridianus in ortu Syriæ ad 90. grad. videlicet positus.

De

De ARIA, PAROPAMISADIS DRANGINANA, ARACHOSIA, GEDROSIA, duabus INDIIS, SINARVM regione, & TAPROBANA insula.

Nona Asiæ Tabula.

SEQVVNTVR nationes à Macedonibus, duce Alexandro, Philippi filio, lustratæ, alioqui non usque adeo celebres.

Aria à Septentrione habet Margianam, ac Bactra, ab occasu Parthiam, ac Carmaniam desertam, à Meridie Drangianam, ab ortu Paropamisadas: in ea est Alexandria, ab ipso Alexandro ædificata.

Paropamisadæ ab occasu habent Ariam, à Septentrione Bactra, ab ortu Indiam cis Gangem, à Meridie Arachosiam. Nomen habent à monte Paropamiso, qui ipsis imminet à Septentrione ad

Sofim, & Narsingæ Regem pertinet hæc Provincia.

Drangiana ab occasu habet Carmaniam desertam, à Septentrione Ariam, ab ortu Arachosiam, à Meridie Gedrosiam.

Arachosia terminatur ab occasu Drangiana à Septentrione Paropamisadis, ab ortu India cis Gangem, à Meridie Gedrosia. In hac quoque Alexandria est.

Gedrosia terminatur ab occasu Carmania altera, à Septentrione Drangiana, ac Arachosia, ab ortu India cis Gangem, à Meridie Oceano Indico Meridionali. Hactenus Ptolemæi libri sexti regiones dictæ sunt, sequuntur nunc libri septimi. Guzrat hodie dicuntur initiati Brahmanum ritu ita, ut à carnibus, & vino maxima illorum pars abstineat.

Decima Asiæ Tabula.

India cis Gangem habet ab occasu

occasu Paropamisadas, Arachosiam, & Godrosiam, à Septentrione Imaum montem, iuxta superiacentes Sogdianos, ac Sacas, ab ortu Gangem fluvium, ac alteram trans Gangem Indiam, à Meridie Indicum Oceanum. In hac Indus maximus est fluvius à quo India nomen habet. Item Nagara, quæ & Dionysiopolis, & Nyssa apud authores, non longe ab Arachosia urbs. Hæc natio ingens est, qua uno nomine nulla maior.

Ad Calecutiorum promontorium est Provincia Malabar, aut Malavar, intra autem, Narsinga regnum permaximum. Bengala regnum est in hac parte clarissimum Arabes vocant regnum Sin. Nunc Pegu, & Malacca ultra est China in ditione Cataiensium: sed quam tamen ob Moluccas insulas adeunt Lusitani: ad hunc usque locum vix

venit post tres menses classe magni Cham Cublai conductus Marcus Paulus usque ad Ivam insulam maximam, quæ Mollucarum facile Princeps est. Vnde licet sit continua terra ad Septentrionis partes, tamen opus est maxime Asiam sinuari in eam partem ita, ut optime dixerit. ut vidit & Hayton, & Paulus Catay esse ad finem terræ in oriente, ut & Belgian. Longitu. totius Indiæ est à 120. ad 180. 60. graduum. Latit. varia, sed latissima à 10.30.20. Dies max. ab 11. in 13. Parallelus ut in Arabia.

Vndecima Asiæ Tabula.

INDIA trans Gangem ab occasu habet alteram Indiam, & Gangem fluvium, ad Septentrionem Scythiam, & Sericam, ab ortu Sinarum regionem, à Meridie Indicum pelagus. In hac est aurea Chersonesus inter duos sinus Gangeticum, & Magnum.

Sina-

Sinarum regionem terminat à Septentrione Serica, ab ortu, atque Meridie terra Ptolemæo incognita, ab occasu India trans Gangem, & Magnus sinus. De hac regione propemodum nihil est apud authores.

Taprobane insula opposita Indiæ cis Gangem, maxima omniũ apud Ptolemæum, auro, argento, aliisque metallis abundans, nostra ætate non omnino eo modo reperta.

Nunc Samothra nuncupatur, & videtur esse Moluccarum Princeps post Iavas duas. Ditissima est gemmis, & aromatibus, Lusitanisque persamiliaris, & Chersoneso aureæ opposita. Reges quidam in ea sunt facti nostra tempestate Christiani, ut & in toto Indico littore curatur à regis Lusitaniæ Clero. Sub æquatore est ad 180. gradum fere. Vlterius 40. fere gradi-

bus quam ſit à Ptolemæo collocata.

Duodecima Aſiæ Tabula.

E REGIONE autem eius ad ortum ſunt Moluccæ inſulæ, & Provincia odoris ſuavitate necans accedentes, quæ putatur vulgo eſſe Paradiſus terreſtris, unde Manucodiata avis. Ibi enim ſuperioris maris communicatio, unde ad montes Hemodes, Pariedros, ſive Carduchos, & Niliacos fluviorum origo. Artes, diſciplinæ, & quicquid vitam humanam excolit, habet ea regio, de qua etiam fama ad Temiſtitam pervenit. Ibi etiam Typographia pridem inventa eſt. Tharſis, ſive regnum Tharſæ, eſt ad occidentalem plagam Catainorum Tartarorum, regio prædives, & nobilis nomine Iogour: unde in hanc uſque diem Turcæ vocant ſuæ ſectæ hoſtes omnes, & præcipue Chriſtianos

Iagour,

Iagour, aut Giaour, aut Chaour, eo quod antequam à Turquestam discederent, illos habebant infensos. Inde venere magi ad colendum Christum syderum scientia inducti, & supernaturali astro incitati: quorum ibi adhuc superest & nomen, & genus Christo credens. Vino & carnibus abstinent, alioqui feracissimo rerum omnium solo potiti. Divinandi arte imprimis pollent ex arte, & disciplina sicut & Abrahmanes, quos ad Meridiem in India habent. Littus autem Indicum fere omnino cessit regi Lusitaniæ ad Moluccas usque, quæ nobis sunt fere Antipodes, & finis alterius Hemisphærij. Est autem Indiæ descriptio expectanda à Damiano à Goes insigni rerum experientia, & multiplicibus legationibus claro, qui ex regiis memoriis, hanc cum sua Historica instituit iussu regio, ut confir-

mavit D. Blasius d'Aluyde, legatus serenissimi regis Lusitaniæ vir & humanus, & doctus, & suo inprimis dignus munere. Tarsenses sequitur regio Turquestan, unde primum prodiere Turcæ pridem à parte sui in Tartaris relicta separati, & sola lingua convenientes. Soli autem mortalium Turcæ in odio nomen suum ponunt: eo quod sonat derelictum, & maledictum, quale meruere decem tribus, quum sunt abductæ in Persidis fines ultimos, & postea sponte ad 18. menses itineris abscessere. Sicut enim fecerant Israëlitæ duas defectiones, primam à Danitis in Dan, & alteram à decem tribubus in Bethel, & Dan: sic & sunt passi duplex exilium, unum coactum ad orientales usque fines regni Persarum, & alterum voluntarium ad fines usque orientis, & Scythiæ. Remanserunt autem

tem in duabus partibus. Nam in ea regione, quæ ab illis vocata Turqueſtam ſubſedere cum ſuis armentis ob paſcua. Eſt autem ea regio ab Armenia ſex fere menſium itinere. Quum autem eſſent ibi maxima copia, tranſiverunt paſcuorum gratia ultra montem Belgian, & ibi ſunt ab Alexandro concluſi, ubi Iudæi clauſi dicebantur, & erant, donec ſuæ originis, & legis, unde ſuperbiebāt, obliti utraq; pars ſunt, & vocati ſunt Turcæ, eo quod derelicti & maledicti à Deo eſſent. Tartari autem Totari, ſive Tatari, hoc eſt, eorum ſuperſtites, quos eſt certiſſimum aliquando habuiſſe & diu poſt Alexandri tempora commercium, apertis rurſus, & denuo occluſis montium anguſtiis; eo quod lingua ſunt admodum vicina, & pene ſimili. Miraculoſe autem (ſicut in doctrina ſecreta audi-

auditorum Moſis ſcriptum eſt frequentiſſime debere aliquando hoc fore) Mare Septentrionale illis ab ortu in occaſum venturis eſt apertum, poſt ter novem precationes ad Deum Opt. Max. fuſas. Sic duplici exitu ad caſtigationem orbis educti ſunt, illis ipſis incogitantibus. Abragmanes ad Tarſenſium Meridiem in India poſiti, & adhuc in priſca doctrina per ſuos ſacerdotes perſeverantes, dignitatem Indiæ ſervant in Bragminorum nomine clariſſimi etiamnum intelligentiarum ſeparatarum coactionibus, & ſilentij fide.

De regionibus extra Priſcorum cognitionem.

AD polum auſtralem eſt magna regio, ſed non niſi ad fretum Magalani, aut Martini Bohemi cognita, quam tamen prior viſus eſt indicaſſe Americus

cus Vespucius, qui Americæ nomen imposuit, de hac nil est compertum. Septentrionali autem polo ad Meridianum Germaniæ, & Poloniæ polum versus est permagna regio Scondiæ, quam Zieglerus amplissime descripsit, post Olaum Gothum Upsaliensem Episcopum. ibi peninsula est permaxima Scondia adhærens Asiæ cum Borusia, de qua Erasmus Stella. Scandia insula fuit olim nota. Groenlandia coniungit novum orbem cum nostra. Scythia magis olim fuit nomine, quam reipsa nota.

Africæ, Chamiæve iuga ad Meridiem tam late patent, ut ad 35. grad. latitudinis transæquinoctiæ distendatur, à Lusitanis tamen quotannis per 38. gradus citra, & 35. ultra æquatorem circundari ad occasum solita, & rursus 43. gradibus ad ortum in Meridiano, & per 90. gradus à sinu

ſinu Arabico ad Moluccas, ſic eundo, & redeundo faciunt 416. graduum maximorum iter, quũ univerſim habeat ſolum 360. Orientalis Aſiæ pars cum Scythia fuit etiam fama, quam veritate notior. Quicquid ex Africa ultra Zonam Solis eſt ad 35. gradum Luſitaniæ regis opera apertum eſt, de quo immerito Ptolemæus carpit Marinum. Inſulæ Molucæ, & quæ Malavaris ſunt ad Indi fluminis oſtia oppoſitæ, olim fuerunt incognitæ. Ad ortum Africæ eſt Zanzibar dicta ſancti Laurentij, in occaſu autem ſancti Thomæ inſula ſaccari copia celebris, incognitæ etiam erant. Athlantis ſupereſt, cuius in Timæo meminit Plato, ut & in Critia, regio permaxima, quæ olim ab Athlante primo qui & Iapetus eſt, nomen accepit. Tam lata eſt, quam patet late Africa, & Europa. In medio ſinu ſunt fortu-

fortunatæ illę insulę de quibus in sexto Plinius ex Seboso, ad 40. dies velificationis à freto, & 34. dierum, ac noctium velificatione nunc repetitæ. Columbus Ianuensis propago Iani, primus invenit has insulas. Aluisius autem Cadamustus Venetus patritius, & Venetorum Galliæ genus in Indiam orientalem superato Cornu, seu promontorio Hesperio, quod nunc Cap de non dicunt, conduxit Lusitanos primus. Periisse putabatur diluvio penes Platonem hæc regio, quæ nil habet celebrius fluminibus maximis Tontonteanco, & Maragnone, Provincia Peru, & Temistitana urbe. Angustiæ, sive Isthmus Parias, & Arabicus facerent circuitum orbis brevissimum si semel scinderentur, persoderenturve. Terra Aulonis, Florida, Francesca, & Britannorum sequitur littora, ubivis auro copiosa præter-

terquam inter Cannibales in America. Patet autem novus orbis à polo in polum continue, præterquam ubi frangitur ſemel in freto Martini Bohemi, ad 55. gradum ultra æquatorem, qua ad circundandum orbem tranſivit Magalanes, qui inde ad Molluccas iter fecit.

Conſideratio univerſi.

QUUM Deus mundum hominis cauſa condiderit, in ipſo autem mundo ultra æquatorem nil plane ſit terræ præter Africæ, & Americæ iuga ultra æquatoria, & aliquot inſulas, iure merito quis credat fuiſſe magis cauſa noſtri creatum mundum, quam eorum qui nobis opponuntur nomine. Nam tota terra habitabilis eſt fere citra æquatorem ad noſtrum polum. Quum itaque in noſtra habitabili ſit humani generis habitatio conſtituta,

ta, ſicut ibi piſcium, non poteſt dubitari, quin quum primus intellectus numerator in homine primo conſpexit Solem, ille ad nos inæquinoctio poſitus accederet, ad naturæ opes nobis excitandas. Sol itaque erat in primo ſigno, Luna autem in ſeptimo. Et quia menſis ſeptimus erat primus ante legem ſcriptam, Moſes iuſſus eſt utriuſque anni caput in verno æquinoctio ea de re ponere. Nam & Judæi obſtinati, & reformati in Chriſtianiſmo ſervant una & Lunarem, & Solarem annum. Solarem, eo quod opus eſt ante omnia ſcire Solis introitum in ſignum primum, priuſquam poſſis ſtatuere quodnam ſit Plenilunium propius poſt Æquinoctium. Et ea de re Judæi obſtinati tertio quoque anno habent interiectitium menſem unum 33: dierum, ſeu ex ter 11. diebus quibus Solaris annus

lunarem excedit compoſitum, ut ad coniunctionem lunę primo ſigno unitæ redeãt. In feſtis mobilibus lunaris annus, in fixis ſervatur ſolaris. Licet itaque Judæi in ſeptimo menſe nuncupant caput anni, tamen quum non poſſit eſſe anni caput niſi tertio die à Paſcha, id eſt, ſi Paſcha fuerit die Martis, opus eſt ſeptimo poſt menſe die Jovis fieri Ros haſſana: ſic & nos utrunque annum, ſed ſemel inceptum ſervamus, niſi quia dici poteſt lunaris, quum à Paſcha ſupputatur, eo quod dominica proxima poſt exactam decimamquartam lunæ diem facientes Paſcha obſervamus annum à luna. Sic ex univerſæ terræ cognitione confirmatur Eccleſiæ ſententia, & temporis radix oſtenditur, & diverſæ de hac re ſententiæ conciliantur. Ideo Capiti præeſt ſignum primum æquinoctij videlicet verni à quo ſunt

adhuc

adhuc novem fere menſes fœlicis habitationis, quum à ſeptimo menſe ſuperſint vix tres, ad hyemem. Hoc dixi quia loci ratio dat tempori Principium. Principium enim dici debet ratione habitus aut acceſſus, non contra.

De ratione autem anni ad ſuos limites priſcos reducendi ſit hæc obſervatio, quia ſola ſine tumultu Calendarium corrigitur. Annus Naturæ, ſive civilis incipiat ab incremento dierum cum Capricorno, ſive decimo ſigno, & ſingulis menſibus triginta adſcribantur dies, etiam ipſi purificatorio, ſive ſecundo, & ſic erunt 360. dies. In Ianuario autem unus ob ſolſtitium, in Aprili alter ob vernum æquinoctium, in Julio, Sextilive unus, ob alterum, ſeu æſtivum ſolſtitium. In Octobri aut ob Autumnale æquinoctium eſt quartus adponendus. Novembri autem etiam unus: ſic

ſunt completi quinque dies, quarto autem quoque anno in fine Decembris addendus erit intercalatorius, qui & biſultimus dicetur. Centeſimo autem, atque ſexto quoque anno ipſi Februario ad Jubelæi notam addetur unus biſultimus, aut æquatorius. Et ſic in æternum una pergent & menſium, & ſignorum Principia. Annus autem gratiæ ſive mixtus, aut Lunæ affinis, ſemper erit ſolidus ſecundum terminos Dionyſij, obſervando ab octava tertij mēſis civilis, ſive Martij, uſque ad quintam quarti civilis, ſive primi Religioſi, quæ fuerit prima Luna ad mobilium feſtorum poſitionem. Eſt autem aureus numerus quinque terminis deducendus inferius, & 300. quoque anno inſtaurādus, ut dies Lunæ primæ ubivis cōſiſtat. Sunt enim nunc quinque dies erroris, qui ſunt hoc pacto tollendi. Ia-

nus

nus pater noſter ſic ab ortu mundi liberati conſtituerat, unde eius nomini dandum eſt anni Principium ſecundum incrementa naturæ, & Moſi, Chriſtoque ſecundum gratiæ inſtaurationem in mediocritate conſiſtentem, & rerum omnium æquatricem.

FINIS.

